



1
258
5


INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY



PETRI BURMANNI
EPISTOLA
AD
CLAUDIUM CAPPERONNERIUM,
THEOLOGUM LICENTIATUM,
Diaconum Ambianensem, & Graecae Linguae Professorem,
DE
NOVA EJUS
M. FABII QUINCTILIANI,
DE
INSTITUTIONE ORATORIA
Editione.



LEIDAE,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS. 1726.

LECTORI AEQUO.



Ihil praefari destinaveram, cum omnia, quae ad hanc caussam attinent, epistola longa satis comprehendere conatus fuerim. Sed cum duo modo folia edenda restarent, ad me delatus Clerici *Bibliothecae Veteris & Recentis Tom.* XXV. *consilium mutare coëgit. Ibi enim* Capperonnerii *Quinctilianum recenseri video, & simul a* Clerico *quaedam proferri, quae excuti accuratius operae pretium quidem foret; nisi breviter hac quoque molestia defungi consultius ducerem. Postquam quinque illa, quibus meam editionem* Capperonnerius *deformari jactaverat, vitia ordine memorasset, argumenta etiam quaedam, quibus caussam meam agi posse credit, adjicit. Ad hanc vero humanitatem, non quod patrocinium ejus meruisse videri possem, sed sola se adductum aequitatis ratione, & metu, ne videatur cum voluptate quadam accusationis illa capita exposuisse, profitetur. De metu nihil dicam, ipse enim probe sibi conscius est, quid metuat, aut quid speret, sed aequitatem respexisse minime credo: cum, si verum dicere voluisset, ineptas illas & pueriles notas dignis debuisset modis excipere; a* Capperonerio *vero gratiam inire, & simul mihi non iniquum velle videri, nescio cujus notae esse dicam. Ab aliquo jam tempore multum de feritate illa, qua in omnes Literatores, quos contemtim* Grammaticos *vocabat, incurrere* solebat, *remisisse multi mirati fuerunt, & hinc quoque in sinistram partem facile accipi posse video, si quid inclementius in mansuefactum jam objurgatorem dicam, cui dudum magna verba & insolentis detrectationis spiritus cecidere: sed quia facile ostendere possem, nullam ab eo Bibliothecae suae partem, nullum librum emitti; ubi non ex occulto adhuc tela vibrat in Literatorum capita, & licet dubiis, & quae de pluribus interpretari posset, verbis se tegat, ego nondum eum resipuisse, aut maledicendi libidinem dimisisse credo, sed solo metu contineri, ne vapulare pergat. Sectae, quam profitetur, specie semper insignem jactat animi moderationem, & legi Christianae se potius obtemperare, quam animo suo morem gerere malle, etiam nunc profitetur; nam nec par pari, aut etiam malum bono referre se velle, sed potius omnem injuriae memoriam abolere magnifice jactat. Sed parum adhuc in seria Christianae religionis meditatione profligasse, & magis verbis, quam rebus, sanctitatem praeferre existimo. Non enim tantum exigit coelestis disciplinae ratio, ut injuriarum obliviscamur, (hoc enim sapientes Graeci & Romani, quorum auctoritas apud* Clericum *saepe non minor est quam*

Christianorum Doctorum) *sed ut agnoscamus etiam injurias a nobis aliis illatas*, *& seria poenitentia culpam admissam emendemus*, *Deoque & hominibus satisfaciamus. Qualem ergo injuriam se ex animo delere jactet nescio*, *cum a me nullam in eum profectam esse noverim*: *pro quo etiam malo mihi bonum rependere malle scribat non exputo. Si enim injuriam & malum interpretetur*, *quod pietatis meae esse existimaverim summi* Graevii, *praeceptoris & alterius velut parentis mei*, *& amicissimi* Brouckhusii *manes crudelissime ab eo violatos vindicare*, *jam eadem specie omnibus silentium imponendi jus esse sibi credet*, *& sibi uni lacerandi*, *mordendi & discerpendi viros principes impunitatem deberi*, *soli sibi verberandi libidinem*, *aliis vapulandi gloriam relinqui. Si ex viis publicis allatrantem omnes canem fuste abigere & in nidum suum compellere*, *injuria dici possit*, *facile concedam ingenti injuria maledicum & Cynicum illum adfectum se fuisse queri posse. Sed si tamen injuria vocanda sit tanti viri & dictatoris insectatio*, *nihil certe aliud in se dictum a me producere poterit*, *nisi quo fastus & arrogantia ejus paedagogica*, *ignorantia & in literis humanioribus ruditas traducta fuerit. Utinam verba Melchioris Cani*, *quae in hac bibliotheca p.* 66. *producit*, *ipsi obversata fuissent*, censura morum debet esse in vivos cautior, & in mortuos reverentior. *Si ergo vir fuisset*, *ad singula capita respondere debuisset*, *& doctrinae*, *quam adfectat*, *variae famam adserere*; *sed campo cedere*, *nihilque fere ex magna errorum & peccatorum copia defendere*, *sed ad convicia & maledicta delabi*, *in mores & vitam meam debacchari*, *an hoc Christianae religionis sanctitati & moderationi toties ostentatae conveniat*, *ipsius judicio permitto. Me vero meis finibus*, *& disciplinae*, *quam profiteor tuendam*, *terminis impetum omnem coërcuisse*, *nec ipse*, *credo*, *negabit. Unde ergo injuria prius orta fuit? a me*, *qui tantum indoctum*, *arrogantem & intolerandum in republ. literaria censorem non modo esse dixi*, *sed invictis argumentis probavi? an ab illo*, *qui postquam confutatam vidit maledicendi rabiem*, *hiscere non audet contra*, *& tota caussa literarum & eruditionis deserta*, *in canem versus nihil nisi latratus egit*, *nec adhuc ex longinquo dentes suos ostendere cessat*, *licet quotidie moderationem & injuriarum patientiam stultis & imprudentibus rerum ostentet? Quia ergo injuriam inferendi copiam sibi ablatam videt*, *& melius fuisse me non tangere ipsi amici ejus quotidie occinunt*, *se ingenti injuria affici credit*, *quod ego os ipsi praebere*, *aut saltem ab eo exagitando desistere nolim. Sed caussam hodie ab homine separemus*, *& persuadeat sibi lector velim*, *nullam me gloriam ex tam ignaro & indocto adversario captare*; *sed me*

li-

literarum & studiorum humaniorum suscepisse patrocinium , quod facile mihi fecit Galluli istius proterva inscientia, cujus nullus adhuc prodiit liber aut Bibliotheca , unde non in horreum meum tela recondantur , quae si in caput illud confossum vibrare vellem , mortuo jam insultare viderer. Quia vero ab aliquo abhinc tempore , nullum fere , qui prodiit , Graecum aut Latinum recensuit auctorem , quem non una alterave conjectura tentaverit corrumpere , & in hac etiam recensione Fabii idem adfectet , operae pretium duxi , quia cum eo amplius committi nolo , hac occasione uti , ut insignem ejus confidentiam & impudentiam , cum stupenda ignorantia adhuc conjunctam , manere , orbi literato exponam. In Prooemio Quinctiliani cum occurreret promittere , *ego remitto lectores ad notas in Petron. cap.* 10. *ubi docetur , idem esse quod* profiteri , *& dici de Medicis & aliis , qui artem aliquam publice profitentur.* Capperonnerius *insigni sua Graecae linguae jactatione addit , idem Graece valere* ἐπαγγέλλεσθαι, *& Gallice dici* se picquer de , faire parade de *&c. ut pag.* 66. *hujus Epistolae notavi. Huc quoque symbolam confert* Clericus , *at ille malit Gallice vertere* professer , *id est* , d'en faire profession , & de l'enseigner aux autres , *& remittit deinde lectores ad interpretes ad Petron. cap.* x. *Cui bono universa illa observatio , quae tota a me est occupata , brevissima illa a me apposita nota ; Sed hoc ferendum , nihil enim mali committit , aut perperam adfert ad mentem Fabii explicandam , licet non sit ex sua penu. Sed stupebit lector , ubi sequentia verba Fabii ab eo vexari viderit.* Nunc autem , quae velut propria Philosophiae asseruntur , passim tractamus omnes. Quis enim modo de justo , aequo & bono , non & vir pessimus loquitur? *ubi cum* τὸ modo *admodum sollicitos habuisse interpretes dixisset , adjicit Barthii verba ex lib.* xxxi. *Adv.* 5. *qui se in codice quodam reperisse dicit* jactamus. *Ipse vero* Clericus *in parenthesi adjicit:* Cette varieté ne se trouve pas dans l'edition de Leide , ni dans celle de Paris. *Vix oculis meis haec legens credebam , nam in utraque editione Parei nota exhibetur , in qua Barthii locus adducitur , & variatio illa* jactamus *producitur , ego vero in mea nota eam rejicio , & vulgatum* tractamus *vindico. Quid dicam? ne aegre ferat , quaeso ,* Clericus , *si magis magisque quotidie , quod semper suspicatus sum , credere cogar , magnum illum Theologum , Philosophum , Literatorem , Pansophum* percurrere magis folia , *quam ipsos libros perlegere , quod ipse in hac bibliotheca p.* 209. *fatetur. Quis enim tam socors & negligens reperiri posset , qui totam periodum Auctoris alicujus excutiens , non simul ad omnia verba notas , si quae essent , perlustraret. Sed haesit mens illa coe-*

 le-

lestis Clerici *in ultimis periodi verbis*, *& advertit eam particula illa* modo, *quam* Capperonnerius *loco suo motam asterisco notaverat*: *hinc arripit occasionem stultitiam suam nudandi*, *& applaudens Parisiensi Theologo* (*qui sine ulla MSS. auctoritate*, *ex trium saepissime vitiosissimarum editionum exemplo*, *transposuerat particulam hanc*) *dicit*, modo *significare* nunc, *quod Vossii auctoritate ex libro de Vitiis sermonis. p.* 380. *probare nititur. Sed ut taceam*, *si* modo *posset pro* nunc *capi*, *nullum politi & eruditi scriptoris exemplum produci posse*, *ubi ita collocaretur*, *ut his in verbis Fabii*: *sed falsum est*, *quidquid ex Vossio* Clericus *eum non intelligens producit. Exempla enim*, *quae Vossius profert*, *docent agi de tempore praeterito*, *sed non diu*, *&* modo *esse adhuc minus quam* nuper, *quod remotius a praesenti tempus notat. Sic in Terentii loco* modo advenis? Admodum. *id est*, *an paullo ante hunc temporis articulum*, *quo te video*, *advenisti*, *respondet* admodum *sc. modo*, *brevissimo ante hoc punctum tempore*, *nos Belgae*, so even, so terstont. *Sic Ciceronis verba*, modo ait hoc, modo illud, *non possunt capi de praesenti tempore*, *tunc enim uno & eodem momento diversa simul loqui censendus esset*, *sed cum antea hoc dixisset*, *paullo post illud dicit*: *quando*? *certe antequam hoc Cicero de eo narraret. Quare si reliquissent duo hi heroës literarii verba*, *ut ego ex MSS. & omnibus fere editis collocavi*, *& voluissent conjecturam meam facillimam approbare*, *sensum vidissent optimum.* Quis enim non de justo, aequo, ac bono, modo non sit vir pessimus, loquitur? *ubi tantum* & *mutatur in* sit. *Hoc dicit vero Fabius*, *omnes*, *praeter profligatissimae nequitiae homines*, *de aequo & bono loqui. Sed videamus sine cortice natantem*, *id est*, *sine subsidio Capperonneriano Criticam exercentem* Clericum. *Cap.* 11. Vix enim se prima elementa ad spem tollere effingendae, quam summam putant, eloquentiae audebunt. *Ego hic nihil reperi*, *quod morari lectorem posset. Nam cum Fabius antea egisset de aemulatione puerorum*, *qua profectus eorum aluntur*, *& de imitatione condiscipulorum*, *qua magis excitantur quam exhortationibus docentium &c. gradus esse faciendos docet*, *& prima elementa nondum posse spem facere summae eloquentiae*, *a qua longe absunt*, *sed ad proxima consequenda tantum incitare*, *& ita porro. Quid duri*, *quid insoliti in hac locutione*? *quid magis absurdum quam in praecedenti*, alit aemulatio firmiores profectus? *an ibi debuisset dicere*, *juvenes qui plus profecerunt*? *Ipsis ergo elementis primis id adscribit recte Fabius*, *quia illis ea vis nondum inest*, *ut animos juvenum adtollant ad spem summae eloquentiae*, *sed tantum ad proxima &c.* Clericus, *qui hic sibi natam ineptiendi videbat* *egre-*

egregiam occasionem, sibi legendum videri ait: prima elementa adepti ad spem tollere &c. *& ut initiatus mysteriis artis Criticae posset censeri, hanc vocem* adepti *intercidisse suspicatur, quia* ad *sequitur. ita ut minor haec vocula majorem, ut bestiola belluam, absorpserit. Sed cur omisit* se? *Et cum id primum semper Critico curandum esse putem, ne scriptori erudito & diserto inauditas, insusitatas & scabiosas locutiones adfingat, cur non simul exemplo idonei scriptoris ostendit Latine dici*, adipisci elementa? *nam hoc ab* Harduino *exigit* Clericus *hujus Biblioth. p.* 131. *Sed hic deseruit consultorem suum Oraculum* R. *Stephani. Scio quid regeri posset, quod ipse pag.* 80. *Epistolae hujus de hoc iniquo postulato scripserim; sed si non ipsa verba* adipisci elementa *reperire possit, producat aliam locutionem, ubi pueri vel viri* adipisci *rem quandam, similem saltem* elementis, *dicantur. Illum vero de* Adeptis, *quos artis Chemicae mystas vocant, somniasse puto. Sed haec lectori erudiendo, quam negligenter & audacter Ephemeridum illi compilatores, & in primis* Clericus, *quidquid in mentem venit, in chartam conjiciunt, hodie sufficiant: nisi enim me jam taedium ingens caperet harum ineptiarum, quot non ex quotidianis Clerici scriptis hujus generis proferre liceret? quae ille temere, & ut plebejus & sordidissimus stylus ostendit, sine ulla meditatione aut cura conscribit, securus lectorum, quos singula excutere nolle probe scit, & quorum oculos vana eruditionis & Criticae peritiae jactatione praestringi facile posse novit. Sed maneant condita haec arma, satis enim jam, satis nos ignavo inquinavimus sanguine, & posthac aliud potius agamus, unde major fructus ad rem literariam redundare possit. Quia vero haec Epistola properata fuit, & ego, ut jam fassus sum, & de se quoque* Clericus *hujus Bibl. pag.* 81. *profitetur, pessimus meorum scriptorum sum emendator, ignoscat lector, si quid in scriptione admissum fuerit, & hos, quos relegendo deprehendi, librariorum lapsus corrigat, oro quaesoque.*

Pag.	lin.		Lege
1.	4.	*ab*	*ob*
13.	31.	*potius*	deleatur
16.	33.	*moneas*	*mones*
21.	9.	*magnum*	*magnam*
	17.	*si ex*	*nisi ex*
29.	22.	*falsis*	*falsi*
31.	22.	*Bernardini Balbi*	*Bernaldini Baldi*
32.	16.	*prospiciens*	*prospicerem*
34.	30.	*tralatitio &c. abruptis*	*& tralatitio &c. abrupte*
42.	25.	*cap.* 18.	*cap.* 12.

Pag.

CORRIGENDA ET EMENDANDA.

Pag.	lin.		lege
48.	13.	*venalibus*	*venalitiis*
68.	37.	*alii*	*alibi*
71.	37.	*pronuntias*	*pronuntians*
81.	40.	*Latine*	*Latini*
98.	21.	*pingi*	*pingui*
100.	16.	*Sequinos*	*Seguinos*

PE-

PETRUS BURMANNUS CLAUDIO CAPPERONNERIO, LICENTIATO THEOLOGO PARISIENSI ET DIACONO AMBIANENSI.

S.



Escio quî gestiebat mihi animus ante duos tresve annos, cum huc ex Francia, ignotam nobis ab caussam, concederet, diligenter ab eruditis vestris mihi & aliis commendatus, Abbas *Camusatus*, rescifcere & intelligere, quid in re literaria molirentur viri insignes eruditionis & ingenii laude, quos non diu ante ipse Lutetiae salutaveram. Sed cum unico, quo hac in urbe substiterat, die me per ferias absentem frustra quaesivisset, & ego omnia officia humanitatis & benevolentiae, quae exteris praestari fas est, illi probare cuperem, longa ejus apud Amstelodamenses mora mihi hanc facultatem ereptam dolebam. Cum vero deinde prolatis Academiae rebus Amstelodamum contenderem, nihil prius agendum mihi credidi, quam ut virum, mihi ab eruditissimo & quocum Ultrajecti, dum ibi Legatorum de Pace conventus ageretur, familiarissime vixeram, *Du Bos*, commendatum requirerem: Sed cum post molestam satis & difficilem indagationem, tandem colloquii sed brevissimi mihi copia facta esset, nihil nisi hoc unum de Parisiensibus Eruditis cognovi, Te parare novam Quinctiliani Editionem, jamque operis istius nuntiam praemisisse Epistolam, qua editionis meae vitia & labes acriter sed eleganter castigares, ejusque mihi copiam se, quamprimum Lutetia transmitteretur, facturum promiserat. Interim Amstelodami ex certis hominibus discebam iniquiorem in me *Camusatum* ipsum videri, & quotidiano usu & commercio, cum magno illo Cymbalo mundi *Clerico*, a me & aliis Batavis alienatum, publice de hac tua epistola magnifica quaeque praedicare. Neque dubitare me diu patiebantur Bibliothecae Francicae (cujus auctorem se nec mihi nec aliis negavit *Camusatus*) haec inserta verba Tom. II. part. II. p. 281. *on imprime une Lettre de M. Caperonier* (credo *Capperonnier* ex tuo ipso titulo dicendum) *a M. Falconnet le Fils, de l'Academie des Belles Lettres, laquelle contient d'excellentes remarques sur l'Edition de Quintilien, que Mr. Burman donna il y a quelques années. l'Editeur y est attaqué d'une maniere très vive, mais tres polie.* Ce

Ce petit ouvrage fera voir que La France n'est pas si depouillée de Critiques judicieux, qu'on voudroit le persuader au public. cette lettre aura environ cinq feuilles d'impression in 4. & sera suivie dans peu de tems d'une autre Lettre sur la traduction de cet Auteur par M. l'Abbè Gedoyn. Latine haec, & si quae alia adducenda postea erunt Francici sermonis verba, non est animus vertere, quia morosis & difficillimis censoribus cavillandi caussas praecidere constitui. Cum jam nihil praeter exspectationem a *Camusato* pronuntiatum viderem, vehementius videndi hanc tam magnifice laudatam epistolam desiderium in me accendi animadvertebam, & cum ille promissa sua falleret, neque ejus copiam mihi faceret, ad Parisienses amicos recurrendum fuit, a quibus certior factus Te ipsum excusam jam, & cum quibusdam communicatam, epistolam strangulasse, & tenebris damnasse, mirabar quae ferociam tuam mitigasset mei miseratio: nec destiterunt tamen mihi bene volentes amici, donec ejus exemplar ad me transmitterent: obstupuisse me, ea visa & lecta, diffiteri nolo, tam futili &, ut veris appellationibus utamur, commictili merci splendidam fuisse hederam suspensam, & Te, quem *Theologum Licentiatum & Diaconum Ambianensem* esse audieram, sed quem antea ne nomine quidem vel fando umquam cognitum habueram, tam procaciter & proterve in me insilire & arietare, a quo nulla in te aut tuos amicos injuria profecta esset. Numquam equidem, cum Quinctiliano operam darem, tam improbam spem conceperam, ut omnibus numeris absolutam editionem producere possem, sed blandiebar tamen mihi, si cum prioribus, a non iniquis eruditionis Arbitris, conferretur haec mea, longo & pleno taedii & molestiae, &, ut ita dicam, aerumnabili labore, quem in conferendis scriptis & excussis codicibus exhauseram, aliquam me gratiam a doctis & humanis viris iniisse. Nec etiam tam Suffenus eram, aut meum umquam induxi animum, ut in tam longo & grandi opere, ad quod elaborandum vix publicae & privatae curae satis otii dabant, non hic & illic, vel ingenii & eruditionis tenuitate, vel vitio humani generis, vel denique negligentia & festinatione peccasse me crederem. Eoque etiam nomine in praefatione ab omnibus, qui umquam simili in ergastulo se incluserunt, veniam mihi poposceram, quantique sit operis, taedii & molestiae, tot codices simul consulere & excutere, & adnotationes inde publico utiles conficere, plana satis oratione exposueram. Quare jure quodam mihi a studiorum nostrorum prudentibus non modo paratam hanc veniam promiseram, sed & patrocinium eruditissimi cujusque adversus malignos obtrectatores speraveram; & si quid gravius etiam admisissem, id reliquis in Fabium, misere & infeliciter adhuc tractatum, meritis donatum iri confidebam. Neque me spes illa omnino fefellit: cum enim studiose cavissem mihi, ne ante me interpretum merita & laudes detererem, & nullos, nisi qui vix literati aut docti nomen ferre possunt, parce tamen & raro, tetigissem, conscientia diligenter administratae provinciae me sustinebam. Neque etiam a quoquam, qui severa lege studia & mores suos expolivit, mala mihi adhuc relata fuit gratia, sed pudorem meum saepe laudibus, quas non agnosco, oneratum sum expertus. Sciebam quidem *Gallulos* quosdam, & in primis *Ephemeridum compilatores*, minime aequos, qui me depravata hujus seculi studia, & eorum instituendorum rationem saepe vi-

vis

vis coloribus, cum libertate ingenua depinxisse, indignari & irasci solent; nec stomachos eorum jocos quosdam & dicta aculeata satis concoquere posse audiveram. Sed de Te, cum primum Fabio edendo operari inaudivissem, & antequam Archilochiam illam epistolam legissem, eam praeceperam opinionem, ut, qui in instructissima totius fere orbis eruditae supellectilis apparatu urbe viveres, & locum inter Professores Regios teneres, membranis & codicibus, quos nobis infelicior sors invidit, excussis, tot adfectis & depositis Quinctiliani locis, quos ego relinquere non sanatos coactus fueram, novam lucem adfunderes. Sed cum perlecta Epistola tua, me non modo illa spe dicidisse, sed mecum magnos illos & aeternum venerandos viros, lumina olim & decora Gentis Francicae, *Scaligeros*, *Budaeos*, *Turnebos*, *Muretos*, *Casaubonos*, *Salmasios* &c. in ordinem esse redactos viderem, quid de Te sperandum esset satis intelligebam. Statim enim deprehendebam, Te relicta regia illa & summis ingeniis calcata via, in semitas illas obscuras devertisse, & ad Paedagorum & Scholasticorum, quos vestrates *Pedantes* vocare solent, compendia deflexisse. Hinc quoque mirari simul desii ferociam illam & feritatem, qua pinguis ille scholasticorum grex, cujus te ducem profiteris, se efferre solet, & quae animos tuos ita extulit, ut cum te omnibus, quos modo nominavi, viris praeferre viderem, nihil mihi duri accidere deberet, si in me, qui longe ab eorum ingenio, eruditione & meritis absum, petulanter insultares. Quid enim a Thrasone tali sperandum supererat, nisi ut conviciis & opprobriis, quae vix sordidatam plebem decent, cumulatum & obrutum me cernerem, quibus si pro merito respondere vellem, & cum tam indigno adversario contendere, metuerem ne ipsa victoria, si quam adipiscendi spem viderem, nomen meum & famam contaminaret: sed cum perpetuis me jamdiu, a quibusdam semidoctis, aut Franciam adhuc incolentibus, aut inde diversas in regiones dilapsis & dispersis, maledictis appeti videam, & tibi clam subministrata in me tela ab occultis hostibus, quos tibi nominare facile foret, non vanam conjecturam capiam, calumniae isti, quam & tu praetexis, & qua patroni tui, *Camusatus* & alii quotidie me premunt, breviter primum occurram; ut si coërcere illam nequeam, gravi tamen & sincera testificatione a me repellam. In universam aliquam nationem aut gentem neque ego umquam aspere, aut acerbe invectus fui, neque liberalem aut humanioribus studiis expolitum virum umquam decere adfirmo & contendo. Neque hujus criminosae accusationis reum me peragere vel tu, vel quisquam alius poterit. Non utar nunc facili illa & promta caussae meae defensione, falso, immo importune hanc genti vestrae obtrectandi libidinem a Te, aut quocumque Francicae eruditionis patrono, objici Germanis aut Belgis, quantum mihi constat, scriptoribus. A vestrae vero nationis scriptoribus tot jam contumeliosa in alios populos opprobria & maledicta sunt congesta, ut moderatissimi apud vos ingenii viros pudeat stoliditatis tam barbarae, qua feroculi quidam Galluli, omnis elegantiae & culti nitoris, ut jactant, magistri, nullum in Europa populum, insigni illa ingenii aut excellentis istius, ad omnia percipienda, ornanda, & Gratia & Venere quadam, vobis propria & singulari, condienda, nota posse ostendi & demonstrari, quoti-

die nobis adhuc cantare non desistunt. Incredibilem illam animorum & mentis ad omnia capacis motus, & ingeniorum celeritatem ita vobis esse a benigno numine infusam & ingeneratam, ut prodigii instar habeatur, si sub septentrionis plaga ingeniosus, acutus aut solers quisquam reperiatur. Hæc a vestratibus in Germanos & Belgas tralatitia & quotidiana convicia jaci non negabis, nec expressis auctorum verbis probari postulabis, cum ex solius viri Amplissimi *Crameri*, qua *Bouhursii* vestri impetum vastum & ferinum contudit, de hoc convicio dissertatione, os tibi & tui similibus obstructum esse, omnes silentio sitis confessi, quidam etiam aperte ferociam illam detestati fuerint. Tuum erit ex meis, quae umquam edidi, scriptis docere simili me umquam protervia, gentem universam Francicam lacerasse aut infamasse. *Gallulos* saepe, fateor, joco, forte acerbo & intolerabili illis, qui se tangi dolebant, incessivi, neque poenitet, mecumque saepe risisse verae eruditionis cultores, qui apud vos prisca & prioris aevi vestigia premunt, certo cognovi. Hoc si crimen est, fateor, sed magno me auctore tuebor, Cicerone nimirum, quo nemo Graeciae eruditae & ingeniosae laudes eloquentius & magnificentius praedicavit, qui cum fassus saepe esset Graeciam doctrina & omni literarum genere Romanos superasse, qui Athenis inventas & perfectas artes, & a Graecis Philosophiam & omnes artes ingenuas habuisse Romanos agnosceret, idem tamen, sui temporis corruptores & depravatores omnis humanitatis & eruditionis, *Graeculos* otiosos, loquaces, contentionis quam veritatis cupidiores, assentatores, & qui turpibus & indignis ingenuo homine obsequiis, se principibus civitatis Romanae viris insinuabant, & praefecti eorum Bibliothecis & liberorum studiis, veram & masculam eruditionem enervabant, immitibus & crudelibus jocis proscidit & traduxit. Immo eo inanis arrogantiae eos dixit provectos, ut Romanorum neminem aliquid scire aut intelligere jactarent; quare perridiculam eorum eruditionem acriter & facete saepe perstringit, & eos multa conquirere, quae nihil attinebant, ut artes difficiliores esse crederentur, dixit. Neque tu *Iter* meum in *Arcadiam*, quod praecipue in *Gallulos* telum me vibrasse non diffiteor, *famosum libellum* voces, aut amici tui & amati *Clerici*, quo nemo profano magis ausu & impuris manibus sacra nostra tractavit, aut Commentatorum in usum Delphini caussam suscipias, quam viri egregii in Francia dudum destituerunt, & certiora multa, & vulnera ampliora infligentia in Gallulum illum conviciatorem, & ferocissime se omnibus eruditis praeferentem, & eos simul omni maledictorum genere cumulantem, jacula, quam a me contorta sunt, emiserunt. Pessime vero obscuros illos & nulli fere mortalium notos paedagogos, qui tantam pretiosae & nitidae chartae vim & copiam ineptis & puerilibus paraphrasibus & notis commaculaverunt, de studiis fuisse meritos, nemo hodie apud vos negat, nec ipse, qui in partes eorum venire, quia legendi viros arbitrium ipsi factum erat, debuerat, illustris *Huetius* diffitetur. Ne *Bailletum*, tot vulneribus a civibus suis confossum producam, qui de Criticis Grammaticis agens. n. 605. fatetur eorum merita & vires doctrinae non eodem in omnibus pretio haberi posse. Sed qui, si a molestis Criticis eorum nugaces notas impugnari forte contingat, refugium paratum habere credit ad *Ducem Montauserium*, *Episcopum Condomensem* & *Hue-*

Huetium, quorum patrocinium, hos regia liberalitate abuſos veterum interpretes, contra omnes cenſorum inſultus, defendet. Quaſi vero in libera hac, & nulli Regi aut Tyranno obnoxia rep. literaria, impune liceret nugari & ineptire, ſi id juſſu & imperio potentium fiat. Ne ergo *Famoſi libelli* nomine carmen, quo ridere & irridere tot inſulſos commentarios (inter quos ſi Fabium jam edidiſſes, principem ſine dubio locum tenuiſſes, & *Gorallo* tuo dubiam palmam praebuiſſes) inſtitueram, traducas. Nam non modo publice recitavi, ſed ſub meo nomine in lucem edidi, neque adhuc incepti poenitet. Sed doce, quaeſo, me Univerſam gentem veſtram laceraſſe maledictis, nullos me dixiſſe in Francia hodie ſupereſſe, qui artis ſeverae amant effectus, & ſtudia ſua exacta illa lege, ab Heroibus illis *Scaligeris*, *Budaeis*, *Caſaubonis*, & aliis lata & ſancita, poliant. Adeone me inſanum credes, qui non tantum antiqua illa numina eruditionis colo, ſed qui hujus temporis viros in Gallia eruditionis verae & ingenii excellentis laude florentes veneror, cum iis per epiſtolas non tantum commercium exerceo, ſed ante hos duodecim annos coram ſalutavi, & a quibus omnia humanitatis & comitatis officia mihi praeſtita gratus praedicare ſoleo, ut ſub uno crimine omnes obruam? aut quia magna pars hodie a via regia deflexit, & omnem ſtudiorum rationem corrupit & depravavit, integros ab hac labe, cum peſtiferis & pernicioſis ludimagiſtris in unam claſſem referam? ſi non invidiam & odium in reliquias illas beatioris ſeculi concitaturum & aucturum me metuerem, producerem tibi de miſera in Francia ſeveriorum ſtudiorum ſorte eorum querelas, & ipſorum verbis tibi & omnibus illis jactatoribus elegantioris & politioris doctrinae, quae nunc obtinet, pudorem incuterem. Sed objicere rabiei ferorum magiſtrorum viros egregios, & qui decus adhuc priſtinum tuentur, nolo. Hoc modo tibi habe, nec me, nec quemquam apud nos, quod equidem ſciam, humanitatis ſtudioſum, genti toti convicia facere, aut feciſſe, ſed perſequi, quanto poſſumus, odio vanae, ineptae & puerilis doctrinae glorioſos mangones, & bellum internecinum indixiſſe omnibus *Clericis*, *Capperonneriis*, & interpretibus, ignaris linguarum & rituum veterum: & denique omnibus id genus commentatoribus, ſive Regiis, ſive Delphinicis, qui largitatis publicae helluones, veram doctrinam & ejus cultores infamare & calumniari non deſiſtunt. Et licet *Bailletus* veſter, qui de omnibus nationibus, ut ſeverus judex, ſententiam pronuntiare eſt auſus, de craſſis & ſtupidis Germanis ita judicet, *il ne faut point chercher dans les ouvrages de la plus grande partie des Allemans, la gentileſſe, la ſubtilité, le brillant, la vivacité, la delicateſſe, la politeſſe, l'air enjoué, l'ordre, la methode, & toutes les beautès, qui ſe trouvent dans les écrits des Grecs & Romains, & l'on ne doit point exiger d'eux antre choſe, que de la ſolidité, de l'exactitude, du jugement, & de l'erudition*, nos benigniora de illis judicia ferri a ſaniori parte Eruditae Franciae ſcimus, nec hanc indoctorum inſolentiam univerſae genti adſcribemus. Patiemur etiam vitio creatum cenſorem de Belgis, poſtquam rei veritate coactus inter eruditos orbis principes cenſeri, qui apud eos excelluerunt, confeſſus erat, haec contumelioſa adjicere verba, *mais dans celles, qui ne dependent que de la beauté de genie, & de la delicateſſe de l'eſprit*, on

on les regarde comme les Eratosthenes, par raport a la politesse des ecrivains des Climats, ou l'air est plus subtil, plus pur, & plus doux (Francia scilicet) & deinde in notis, *Gaspar Barthius, au livre 52 de ses Adversaires, appelle ceux des Pays bas, Esprits fin & ingenieux. Qualités, qui conviennent peu aux gens de ces climats.* Quam notam nostrae genti inustam dicto asperiore acerbans, qui in *Bailletum* nuper adnotationes adjecit, Barthium nihil tale dicere addit, eoque nos nomine beatos judicat, quod talis encomii auctoritate destituamur, quia scilicet a crasso Germano Belgas ob ingenii excellentiam laudari nobis non esset honorificum. Talia ex scriptis nostris vel nostratium producas, quaeso, opprobria, & tunc jure tuo nos conviciis & contumeliis obruere licebit. Hoc unum præterea liceat, omnium pace, qui in Francia adhuc solidae doctrinae amore flagrant, dixisse, actum esse de Franciae laude, si, ut Ephemeridum compilatores jactant, in Te nobis reliquias priscae eruditionis ostentari posse credant, tantique & tam insignis Grammatici & Rhetoris immodicis praeconiis os nobis obstrui posse persuasum habeant. Sed licet ad alia pergendum esse videam, & haec exoleta & centies cantata Gallulorum opprobria relinquenda, praetermittere tamen nequeo, veras vos deficientis & ad paucos redactae veteris eruditionis gloriae caussas vel ignorare, vel dissimulare. Non enim illud studium, in quod universa fere natio, non sine laude etiam fertur, patriae linguae, non obviae ubique omnium scriptorum versiones deleverunt Graecae & Latinae linguae meditationem & interiorum literarum cultum. Semper enim, & praecipue a restitutis in Francia literis, a tempore Francisci I. fuere, qui patrio sermoni expoliendo & Graecis Latinisque auctoribus vertendis operam dederunt, licet nunc a recentioribus obruta eorum memoria vix appareat. Sed unica fundi literarii calamitas & degenerantium ingeniorum labes, religio, aut potius superstitio censeri debet. Hoc in aliis gentibus jam observare potuit *Bailletus* ille vester, t. 11. p. 90. qui Germanos debere Religioni Christianae, quod ingenia illorum sint mutata, confitetur. Inepte vero subjicit, hoc Francis debere munus Germanos, & Reges Franciae induxisse studia humaniora simul cum relligione: cum satis constet Carolum M. Germanum origine & Germaniae simul & Franciae Regem, utramque gentem ad disciplinas liberales informasse, & ab illo mitigari & erudiri (*decrasser*) se passum utrumque populum, qui postea per Tyrannidem Paparum & Sacerdotum recidit in antiquam barbariem, quae non nisi emendatis sacris iterum in mitiorem disciplinam & omnium artium culturam feliciter transiit. Quidquid enim dicas, studia elegantia & interiorum literarum meditatio Libertatem, Religionem a Tyrannide liberam, & florentes rerumpb. & regnorum res solent comitari. Hinc ipsa Francia, ante duo fere secula, veram recidivarum literarum redintegrationem nullis debet, nisi illis, qui etiam jugum intolerabile Papae excusserunt; & quidquid posteritatis memoria dignum ab eo exstitit, omne illud inter Francisci I. sub quo novari sacra coeperunt, & Ludovicum XIV. effloruit. Qui cum non modo eos, qui a superstitione discesserant, vehementissime adflixerit, & aut solum vertere, aut contra animi sententiam simulata sacra profiteri coëgerit, simul succidit omnes liberalis eruditionis radices. Aemulatio enim illa, &

& continuae contentiones acuebant utriusque partis studia, nec sola Regis aut dominantis in ipsas mentes Papatus vi & auctoritate vicisse, & de altera triumphasse gloriosum credebant vere docti, sed argumentorum pondere, antiquitate doctrinae, & omni acquisito ex literis lumine aemulos superare utraque factio contendebat. Postquam vero pro calamis gladios & ferrum, pro praelis typographicis carnificum tormenta validius adversarios confectura esse dominatoribus persuaserunt tyrannidis satellites, victores ipsi, securi jam & soli dominantes, ista etiam, ut inutilia Tyrannidis instrumenta, studia infamarunt, & nihil majestati regiae magis convenire, quam curae suae subjectos ad ferarum & belluarum sortem detrudere persuaserunt. Sed deinde in auctores & magistros hujus immanitatis inauditae, & quae non modo crudelitatem Decii & Diocletiani, sed astutiam & dolos Juliani omnes superavit, calamitas recidit. Illi enim, qui se Jansenii sectatores profitebantur, & penes quos, Jesuitis omnia vestigia eruditionis ubique delere intendentibus, reliquiae quaedam eruditionis supererant, quia & hoc nomine suspecti erant, & cum Hugenotis facere & sentire in multis accusabantur, deinde eamdem dominantium vim senserunt. Et quia Jesuitarum regnum & Tyrannis, nunquam ad summum, quo contendit, culmen & fastigium pervenire potest, quamdiu humanus & communis modo in hominibus sensus supererunt, hinc adversarios, quos caussae suae defendendae ratio cogit literas adhuc & libros tractare, perdomandi aut delendi nulla alia apparuit via, nisi ut barbaries antiqua inducatur, & quaecumque veterum monumenta & eruditae Antiquitatis vestigia restant, pereant & exstinguantur. Hoc docuit fatuus ille visus multis, sed huic tyrannidi stabiliendae unice faciens, in Jansenii sectatores impetus. Hoc vexationes illae, quibus non benignius & mitius ipsi hodie, quam olim Hugenoti, tractantur, & quae in perniciem illius partis, quae aliqua adhuc doctrinae fama fruebatur, conspiratos Jesuitas & Romanenses praesules conjurasse ostendunt. Deleto Jansenismo, qui crudelis odii sui in Hugenotos nunc justas & meritas poenas luit, soli dominabuntur in exhausto & exinanito regno Jesuitae, qui brevi non modo Quinctilianum tuum, sed omnes quotquot sunt veteres scriptores, ex scholis & gymnasiis exturbabunt, & obtrusis suae Societatis Magistrorum libris omnia doctrinae & ingenii prisci vestigia delebunt, & sub eorum regno brutum & fatuum se profiteri, & esse, non modo securum & tutum, sed utile & gloriosum, & unicum sapientiae argumentum habebitur: Nec tunc majoris usus tua illa scholasticae eruditionis ostentatio, qua nunc te insolenter effers, quam vera, & a prioribus Heroibus instituta, & solida bonarum artium exercitatio futura est. Sola est Libertas, tam mentis quam corporis, quae producit, alit & amplificat artes, & regiones jugi immunes illustrat, in quibus sine ullo imminentis & certi mali metu licet loqui, quae ex animi sententia vera esse credis, scribere, non quae maledicendi insania & morbus, sed ratio & veritatis persuasio dictat. In liberis tantum civitatibus, aut qui moderato principum imperio gubernantur, ad eloquentiam, variam doctrinam, & omnes graviores disciplinas latissima aperitur janua. Sed ubi omnia, quae in publicum exire conantur, prius acerbis censorum stylis effodi, aut damnata aboleri debent, quis, quaeso, pro-

prodeundi, id est in certum se periculum bonorum, famae, immo & vitae conjiciendi, studio ardebit? Non miremur ergo literas humaniores ita in Italia jacere & negligi, in Hispania penitus extinctas & mortuas, ubi sub sanguineo illo Inquisitionis tribunali gemunt & suspirant maxime docti, & ingenio florentes, qui malunt vel silere, vel nugas scribere, quam periculum certum subire.. In Francia quoque ne miremur omnium fere hoc tempore studia ad ineptos libellos, aut infames etiam Milesiorum fabulas, aut antiquorum versiones converti, quia nihil ex illis, licet sanctitati morum inde gravis saepe accidit labes, periculi a sacerdotum importunitate timetur. Sed memores nos de Grammaticis & Rhetoricis nugis tecum jurgari, deflectamus potius sermonem ad *politissimum* illum, quem in te laudat *Camusatus* tuus (cui ego non modo nullam in me insurgendi caussam praebui, sed in quem, si me uti voluisset, omnia ut mihi constitissent officia, efficere conatus fuissem) *modum*, quo in me incurris, & revocemus tibi & patrono tuo in memoriam, quam longe aliter vos *Galluli*, politissimi & omni elegantia exculti homunculi, illa voce *politesse* utamini, ac nos crassi & hebetes sub septentrione populi, qui eo usque vestra eloquentia adduci nondum potuimus, ut in epistolâ, quae non minus quam ipsae in Quinctilianum notae, a capite ad calcem, nihil nisi ferociam scholasticam, foetorem sordium paedagogicarum, perfectum denique & consummatum (venia sit verbo vobis usitatissimo) *pedantismum* redoleat, *politissimo modo* me impugnari credamus: *Politum* enim *modum* neque juris aequitati, neque morum honestati, neque ipsi denique Christianae religionis sanctitati & praeceptis adversari debere, ipse credo, confiteberis. Doceri ergo primum velim, qua juris specie aut imagine, non dicam me tibi incognitum, nec ulla injuria tanto odio dignum, invadere, & mea acriter & acerbe refellere (hoc enim unicuique posse evenire, qui publico exponit scripta sua, & aequum utrimque scripta alicujus carpere jus, age, esse concedam) aggressus sis; sed me vivo & vidente, nesciente & invito, mea, in quae solus jus habeo, recudere, ita meas immiscere tuis & aliorum notis, ut discerni plane nequeant, mutare, mutilare, lacerare, denique ita exhibere lectoribus, ut si tuam conferre velint cum editione mea, te ut Falsi reum agere debeant? Hoc efficias tibi licere, hoc doceas a quoquam Belga umquam commissum esse in scriptis alicujus docti viri apud Francos, & jure illum tuo non modo, sed omnium odio dignum pronuntiabo. Si comiter, si humaniter, & *politum* in *modum* mecum agere voluisses, inire debuisses rationem, a rudibus illis & crassis quidem, sed qui natura duce sequuntur, quod tu tam longa sapientium vestrorum doctrina & politioris vitae praeceptis consequi nequiisti, sponte & ingeniis suis cultam. Germanos enim & Belgas tibi magno numero recensere possem, qui ubi vel ipsi recudere notas aut lucubrationes Doctorum Francorum, quia rariora erant hic terrarum exemplaria, e re literaria crediderunt, non modo jus sibi aliquid mutandi, demendi, addendi illorum scriptis non arrogabant (sacrilegii instar id habebatur) sed de eorum voluntate & consilio ante explorabant, nec, nisi veniam hanc ipsi auctores darent, manum alieno operi admovebant. Sciebant, nihil tam acute inventum, tam diligenti cura expolitum in lucem emitti, quin dies & tempus admoneret, quaedam posse mu-

mutari & corrigi, his aliquid addi, illis detrahi debere, unde tot libris, post manum summam impositam, *addenda* & *corrigenda* subjici videbant: denique secundas curas ita saepe prae prioribus placere, ut iterum saepiusque repetitae editiones alios plane a prioribus libros exhiberent. Quem enim pudet sua vineta caedere, & quae primus impetus menti objecit, cogitata maturiori meditatione, sine ullo inconstantiae aut opprobrii cujuscumque metu, renovare & emendare? Si jam *politus* ille & vernaculus vobis cum aliis viris doctis agendi modus, qui barbaris illis Batavis & Germanis olim placuit, tibi etiam nunc probatus fuisset, multo elegantius credo fecisses, si me consilii tui certiorem fecisses, & meas tuis notis immiscendi jus a me impetrare studuisses, & simul, si quid in illis mutatum aut emendatum vellem, ut id tibi submitterem, rogasses. Gratias certe tibi egissem meritas, & plurima, quae nunc margini codicis mei sunt illita, tibi ostendissem, ex quibus nunc aliter, atque olim cum edebam, de multis Fabii locis me sentire appareret: multa vidisses atroci stylo confossa & inducta, plura addita, & locis praesertim dubiis, & quae olim intacta reliqueram, lucem quamdam allatam. Vidisses me ingenue, errasse saepe & offendisse, confitentem, & potuisses in plurimis objurgationes ineptas & invectivas feroces tuas abjicere & lucrifacere. Hac via si me aggressus esses, tunc te *politissimum* moribus cultis & elegantibus, & humanitate commendatum singulari habuissem & observassem, ultroque amplissimis & singularibus verbis, & publice & privatim, gratias egissem, quod errantem comiter monere & in viam reducere dignatus fuisses. At nullo jure hanc comitatem me a te exposcere contendes; & me, ex quo publico meas in Fabium notas exposui, omne jus in mea scripta abdicasse, eaque omnium censurae exposuisse, nec tibi minus juris esse mea corripere, castigare, immo risui publico exponere, quam ego olim feci aliorum commenta, & praecipue Gorallianas nugas, quales urbanis, & ridiculis dictis vexasse me non diffiteor, & porro vexaturum promitto. Fateor quoque, si scripto quodam peculiari mea refellere, carpere, irridere etiam instituisses, eodem in me jure, quo in alios usus eram, tibi uti fas & jus fuisse. Si etiam tuis aut aliorum notis Quinctilianum illustrare animum induxisses, non intercessissem, quo minus me pro merito meo excepisses, & in notas meas & priorum interpretum censorem acerbissimum egisses. Sed exemplum politi, elegantis, & liberaliter educati hominis desidero, qui novae suae editioni, viventis & nescientis notas omnes ex editione recenti, & cujus exemplaria nondum distracta aut rara sunt, in suam transtulerit, eo animo, ut pretium addat, molem augeat, & priorem auctorem infamet. Si fato functus essem, neque meorum scriptorum vindex superessem, si nemo curas secundas aut emendationes a me sperare posset, fateor, tibi & omnibus meas notas tractandi; tuis immiscendi (si plagii crimen non verereris) & in omnes formas fingendi, refutandi, & quodcumque libitum fuisset animo tuo agendi, jus potuisse datum fingi; quamvis bona tamen fide semper inter bonos agi oporteat. Sed quia mortui mordere non solent, impune illa tulisses: nunc quia nos *politum* illum *modum* viventibus & videntibus tam atroces injurias inferendi ignoramus, tuam illam nitoris & elegantiae singularem rationem conferamus, quaeso,

cum barbaris illis Germanorum & Belgarum moribus. Nec obducas mihi, quaeso, lucripetae & avari hujus aut illius bibliopolae facinus, qui hodie impune latrocinium per totam Europam agunt, & insciis auctoribus, etiam viventibus, eripiunt jus & arbitrium in propria opera, qui ubi quid in Francia, quod creditur avidos emptores reperturum, prodit, non tantum recudunt, sed interpolant, commaculant, & mutato saepe indice, veris auctoribus suffurantur; quod idem in Francia, Germania, Genevae & ubique fieri videmus, dolemus & indignamur, ut qui maxime. Sed hanc lucro suo unice studentem plebem, & sordidam turbam relinquamus, in tabernis suis in virorum Doctorum foetus grassantem, sed illustriora inter Doctos lumina, ad quod iter dirigamus, nobis in exemplum proponamus. Recole, quaeso, mecum seculi modo exacti memoriam, & inter Francos eruditione & ingenio illustres, *Menagios* & *Valesios* vestrates, qui certe cum commentatoribus in usum Delphini non merentur conferri, mecum considera. Quorum in opera, cum primum exirent in Francia & ibi animosissime ab omnibus emerentur, & pauciora ad exteros exemplaria perferrentur, statim involare cupiebat Bibliopolarum natio; sed intercedebant viri Eruditi, nec manum alienis scriptis injici patiebantur, qui cum his & aliis in Francia viris amicitiae officia colebant, nisi prius consultis dominis & auctoribus. Si in illa Sylloge Epistolarum, quas cum maxime edo, relegere velis, quas *Nicol. Heinsius*, *J. G. Graevius*, & *Fr. Bened. Carpzovius*, quibus obstetricantibus, tot egregiis foetibus locupletatus est orbis eruditus, inter se commutarunt; videbis ad *Menagium* statim relatum fuisse de consilio bibliopolarum ejus Amoenitates juris, & notas in Diogenem Laërtium recudendi, & suppressos omnes impetus librariorum, donec non solum cum ejus venia, sed submissis etiam additamentis & correctionibus pleniora opera exirent, quam antea in Francia. Ita *Heinsio* scribere *Carpzovium* deprehendes Syllog. Tom. v. Ep. 252. pag. 293. *Menagianarum Amoenitatum editionem dissuaseram Bibliopolae, antequam auctiores eas nos sperare juberes, superstitum enim in auctorum scripta semper mihi displicuit aliquid juris sibi sumere, & vel ea saltem recudere absque auctoris consensu, religio mihi fuit ut suadeam.* In eadem & sequentibus epistolis videbis ne quidem *Tanaquilli Fabri* Epistolas *Carpzovium* suasisse Typographis recudendas, nisi per *Graevium* & *Heinsium Anna* ejus Filia consulta fuisset, num permittere, & novas quasdam epistolas submittere vellet, quae cum difficilior videretur, intermissa omnino fuit ejus libri iterata editio. Ex ipsis *Menagii* & *Heinsii* epistolis mutuis te docere possem, quam comiter, quam humaniter hi viri de recudendis, primum Lipsiae, deinde Amstelodami, notis in Laërtium inter se communicaverint consilia, & quam data fuerit *Menagio* facultas errores immensos, qui Londinensem foedaverant editionem, & quos *portenta Typographica* ipse vocat, emendandi, addendi & corrigendi omnia quae volebat: & quam sollicite inquisiverint, qui correctoris operam praestarent, & quo pretio *Clericum*, qui nunc ut reipb. literariae dictator superbus caput extollit, & secures omnibus, qui ejus nomini non assurgunt, intentat typographis, tunc mercede servientem auctoraverint. Eamdem comitatem *Valesio* exhibuerunt & aliis Francis, quotiescumque librarii in eorum ope-

opera involare volebant, viri eruditi in Batavia. In eadem Sylloge Epist. 255. videbis *Carpzovium* rogare *Graevium*, an pati velit Justinum cum notis suis, recens editis, recudi Lipsiae, & offerre ipsi, si notas recensere, aut emendare aut augere velit, aequum pro labore pretium. Hanc borealis plagae imitari te humanitatem decuisset, si politi & elegantis viri famam, non ab ephemeridum compilatore, & sordido gentis suae praecone, sed ab ipsis iniquioribus nationis tuae aestimatoribus referre voluisses. Sed nullo numero Galluli, & omnes tui similes paedagogi, Batavos habent, quidquid illi in vobis carpant, rusticitatis & ferociae arguitur, & in opprobrium universae nationis dictum nullo jure accipitur: Quidquid vero vobis in nos evomere libet, hoc elegantiae & cultioris ingenii notâ insignitur. In Italorum, & aliquando Hispanorum (qui tamen quantum hodie ab antiqua doctrinae & ingenii elegantioris splendore defecerint, ipsi vos, ut hunc ad vos transiisse tandem gloriari possetis, ostendere soletis) elogia exspatiari *Gallulis* vestris saepe lubet, sed de Batavorum & Germanorum scriptis semper maligne & jejune existimare soletis. Audi, non quid ego, sed magnus ille, nec Germanis solis, sed cordatioribus etiam Francis pro prodigio ingenii & eruditionis habitus, *Leibnitius* de vestra hac *polita* & nitoris plena humanitate judicet. Pag. 33. Leibnitianorum agens de *Bernerio*, auctore praefationis in *Menagii* Origines Francicas, qui stultam Batavo alicui conjecturam assignaverat, & Etymologico Vossii, & Lexico Arabico *Meninskii* maligne obtrectaverat, haec ad *Sparveldium* scribit. *Cependant il parle avec un air d'estime de quelques livres Italiens & Espagnols, qui ne le meritent gueres: en quoy il garde le caractere de sa Nation, qui a coutûme de faire cas même des bagatelles, qui viennent d'Italie & d'Espagne, & ne rend pas aisement justice a ce qui vient d'Allemagne, d'Angleterre, d'Hollande, ou des pais encore plus septentrionaux.* Hos tu ergo impolitorum Gallulorum mores imitari maluisti, quam simplicium & minime malorum Belgarum & Germanorum candorem exprimere. Scythica potius ista ferocitas, aut, ut olim Romani loquebantur, Campana arrogantia est, quam *politus* & Francis proprius ille agendi modus, qua in me in Epistola illa & commentariis Quinctilianeis inveheris, & maluisti veterem illam, sed tantum ineruditae apud vos scriptorum turbae insidentem, contemtionem & odium in septentrionis eruditos renovare, quam polito illo morum elegantiorum & cultioris comitatis lenocinio abalienatos multorum a vestra gente animos conciliare. Ita ut non immerito quoque dubitem, an *honesti* quidem viri titulum tueri possis, qui in aliena scripta, & viventis & videntis auctoris notas involas, easque pro arbitrio tuo mutilas & concidis: obtrectandi enim &, ubi nulla etiam acerbe mordendi tibi occasio offertur, obloquendi importuna libido, non modo ad puerilia & inepta multa chartae mandanda te impulit, adeo ut ne humane quidem saepe patiaris, sed & ridicula & theatrali plane ostentatione & longa serie Burmanni errores & commissa in indice exponis, ut omnibus, qui prae multitudine notarum eas excutiendi laborem subterfugient, persuadere posses nihil eum dignum laude in Quinctiliano edendo praestitisse. Scilicet ut Regi, & ejus Magistro ipsi mole spectabilem maximae formae librum offerre posses, & omnes, qui in usum Delphini commentarios extruxerunt, saltem magnitudine vinceres,

& admirationem tui apud populares ignaros interiorum literarum commoveres, maluisti famae & honesti nominis periculum subire, quam imitari comitatem populorum septemtrionis, qui sibi tantum in alienis scriptis arrogare non audent: Sed mittamus juris & aequi, cujus nullam rationem habendam existimasti, mittamus honesti omnem respectum, & morum illam elegantiam, vobis vernaculam & peculiarem: videamus potius quid religionis, quam profiteris, quid muneris, quod in Ecclesia sustines, dignitas tibi suadere debuisset. *Theologum Licentiatum* & *Diaconum* te jactas, & his titulis nomen tuum in ipsa libri fronte & praefatione commendas. Nec simul animo tuo obversari videtur, quam indecora Theologo censenda conviciandi & obtrectandi quaesita libido, quam indigna persona tua, quam gravitate potius morum, & moderatione decorari, non vero de rebus exiguis suscepta muliebrem & puerilem in modum concertatione deformari conveniret. Si nulli Christiano, etiam injuriam passo, alteri inferre, aut damnum importare concedatur, qua tandem specie ignoto & immerenti nocere sola vindicandae imaginariae contumeliae cupiditate tibi permissum esse contendes? Si jam ego quoque hac ignominia, & tot conviciis dignus esse videri possem, quid Bibliopola meus commisit, qui tot sumptus & impensas in editionem illam nitidam satis, & ut ipse fateris, comptam impendit, ut tu ingenti illum damno mactares. Exemplaria enim nuperae editionis nondum divendita, sed magnam adhuc partem in horreis ejus condita, ne in Francia aut alibi venum exponat, prohibes. Illaudabili enim furto, & quod ipsa inter se Bibliopolarum natio graviter vindicare solet, omnes fere, quas ego industria multa congessi, notas, & lectionum discrepantias in tuam editionem transfers, & efficere conaris, ne ex honesta & laudabili negotiatione quaestum faciat. Intercludis hoc tuo facinore, tam foedo & sordido, iter omnibus codicibus ejus & aditum in Franciam, ubi potius tuam, quae meis spoliis onusta est, & quam novis quibusdam ornamentis, sed ineptis, fatui saporis hominibus venditas, emere praeoptabunt. Diffidebasne merci tuae, & parum decoris & gratiae editioni tuae conciliaturum te credebas, si ex tua sola penu aut defunctorum opibus eam instruxisses. aut an requisituros meam nihilominus editionem suspicabaris, ubi tuam omnibus variantibus codicum scriptorum & editorum lectionibus nudatam, solis notis tuis, quibus meam infamare & dehonestare conabaris, comitatam extruderes? Macte vero hoc egregio facinore, sanctissime Theologe Licentiate, esto! Celebretur hoc flagitio gloria & laus tua, quam ex alienis opibus expilatis Professoriae tuae linguae & calamo conciliasti. Nos, quibus saepe Theologus, infausta avis, dirum omen cecinit, hanc famae parandae viam sanctioris disciplinae antistitibus lubentes relinquimus calcandam, & ab hac expostulatione, quae indignatione justa nimium jam excrevit, digredientes, haec & plura Dei & hominum judicio & conscientiae tuae permittimus. Et licet hanc, ex sectae tuae facilitate, quotidie molesto illo peccatorum onere purgare & levare, aliquo sacrorum consorte expiante, tibi liceat, insidere tamen, si modo ullum numen colis, scrupulos tibi aliquos debere credimus, qui, ubi me acriter injustas tuas criminationes referre & refellere indignaberis, in longum te tempus torqueant & excrucient. Sed ipsam potius Epistolam illam galeatam

& armatam; deinde notas tuas, per ſpecies & capita excutiamus, & in diſſertationis juſtae formam, apto, ſi fieri poteſt, ordine, defenſionis noſtrae partes deſcribamus.

Cap. I.

Epiſtola ad Potentiſſimi Regis Franciae Magiſtrum, Epiſcopum quondam Foro Julienſem, & primum accuſationis caput excutitur.

Hanc, quam nunc fronti Quinctiliani tuae appoſuiſti, Epiſtolam jam ante duos fere annos me legiſſe praemonui, ſed quia quaedam nunc omiſſa deprehendi & mutata etiam hic & illic nonnulla, viſum mihi fuit, ne ulla in parte in honeſti viri officium peccem, & ne impolitum in modum ea, quae ipſe damnaſſe videris, impugnem, illa tantum excutere, quae nunc publicae luci, & omnium oculis expoſuiſti. *Falconneto* olim inſcriptam vidi, & *Camuſatus*, praeco tuus, publice pronuntiavit; nunc vero Epiſcopo Foro-Julienſi, a quo pinguiora certe ſperare potes, tuam commendas operam & me, quem Vir ille illuſtris nec nomine quidem novit, inviſum & infamem reddere conaris. Quae vero cauſſa te ad alium, ſi non munificentiorem, certe potentiorem, patronum decurrere coëgerit, mea parum intereſt: nec alienas ab hac concertatione res, in tam uberi ſcribendi materia, immiſcere, aut etiam verborum acerbitate & conviciorum ex trivio petitorum ſordibus, ſed rerum pondere, & juſto examine, unde conſtet uter noſtrum melius de Fabio meruerit, cauſſam meam agere conſtitui. Quinque enim tantum illa vitia, quae meam editionem dehoneſtare jactas, primis his capitibus excutiemus, deinde in reliquis, eodem, quo tu, uſi jure, eruditionis & ingenii tui monumenta ponderabimus, in quibus omnibus, ut ingenuum & liberalem literarum doctorem decet, ſi quid a me peccatum eſſe jure monuiſti, confitebimur; ubi vero obtrectandi libidine, & eadem ſemper chorda oberrans, ad molem libri augendam mala fide agere, ineptire aut nugari mihi videris, reſponſum, non dictum exiſtimabis. Utinam vero in hac ingloria cum Scholaſtico, & tam ignobili, adverſario pugna ita me armis meis uti liceat, ut nullum inde lectori & ſpectatori, minuta & nullius fere ponderis argumenta faſtidienti, taedium oboriri poſſet. Tibi quoque potius, Theologo Licentiate, ut pudor potius quidam ingenuus ſuffundatur, quam ut implacabiliter efferveſcens iracundia, quae ſaepe nationi melanchlaenae accidere ſolet, inexpiabile in caput meum odium concitare poſſit, opto & voveo.

I. Principem in accuſatione, terribiliter intentata, locum dediſti levi ſane & puerili criminationi; ut quaſi velitarem haſtam emittendo proludere graviori pugnae videri poſſis. *In ipſis Fabii*, inquis, *verbis ita reliquiſſe me lectiones depravatas plurimas, & interpungendi notulas perperam adpoſitas, ut neque in variorum interpretationibus, neque in meis veram lectionem, & interpungendi rationem deprehendere poſſit lector.* Obſcuriora haec multis videbuntur verba, qui te

te vernacule loquentem melius intelligere solent. Nam, ut hoc semel dicam, parum te ex studio Rhetorices profecisse ad Latine scribendum; &, quod saepe accidere monuit Fabius, & nos experimur, magistros Eloquentiae & artis dicendi qui se summos esse jactant, sermonis nitore, cultu, & urbanitate vix pueros in ludo literario vincere posse, manifeste apparet. Sed quia de lana caprina contendere nolim, monebo tantum lectores, te satis *Grammatice* loqui & scribere, sed *parum Latine*, quod tamen Fabius tuus longe praestare, te docere potuisset. Saepius etiam te *elegantius velle scribere*, quam *putes*, deprehendi: Color enim ille, &, ut tu centies vocas, *stylus* non ex assidua Rhetorum lectione & meditatione orationi quaeritur, sed oratorum & eloquentissimorum virorum scripta nocte & die versando sponte sermoni nostro innascitur. Ut autem, quid hac prima accusatione velis, Lector intelligat, puto eo omnia tua redire, ut in editione mea quaedam loca, quae hîc loci adducis, relicta sint, in quibus est vel manifestus librarii lapsus, vel specimina corrigentis (ipse enim me pessimum meorum emendatorem esse fateor & agnosco) aberratio. De quibus si tibi sedet tam acerbe concertare, ecce victas tibi do manus, & meam editionem simul cum omnibus fere, quae a natalibus artis Typographiae prodierunt, communi crimine obrui facile patiar.

Sic video casu accidisse pag. 40. Edit. m. ut, cum in transitu ad sequens folium literâ F signatum, bis occurreret vocula *neque*, quae in pede paginae ut *custos* (ita appellant operae) posita in sequenti folio repeti deberet, media verba inter utrumque *neque* omitterentur, & cum legi deberet, *Neque E plane*, *neque I auditur*, ediderint tantum, *Neque I auditur*. Hoc vel correctoris, vel mea negligentia quod in novi folii verbis relegendis non respexerimus ad praecedentis ultimas voces, contigisse agnosco, & supplex apud Censorium tuum supercilium deprecor; & ita tibi bene principia pugnae succedere ultro gratulor. Gravius impingis deinde crimen, me non in ipsa modo Fabii verba (hoc enim indignaturus videris) sed ô scelus! in titulos capitum peccasse, quod operose ostendis & probas. Nec hac in parte tibi adversabor, & me minime de illis indicibus capitum sollicitum fuisse confiteor, sed securum priorum editionum exempla fuisse secutum, ut qui parum referre arbitrabar, quo titulo inscriberentur, si modo indicarent eo capite, cui praeponebantur, a Fabio tractata esse, quae titulus prae se ferebat: gnarus enim eram illos non a Fabii manu, sed vel a librariorum cura, vel Grammaticorum diligentia provenisse. Nisi enim id credidissem, varias etiam lectiones his summariis apposuissem: nam longe alios in Regii & aliorum, alios in Leidensi editione occurrere probe sciebam. Sed tu avide hanc accusandi speciem arripuisti, ut cum laborem conferendi codices mihi reliqueris, & eo in rem tuam usus fueris, ambitiosam & ineptam de *divisionis* & Παρεισχειρήσεως discrimine disputationem posses colore aliquo honestare, & bis terve me ejusdem criminis accusare, & hîc in praefatione, & deinde ad lib. I. cap. 2. n. 55. lib. II. cap. 6. n. 1. 2--5. & lib. VII. praefatione, eadem & iisdem pene verbis repetere. Cum potius id debuisses semel agere, & invictis argumentis probare a manu Fabii indices illos provenisse, & ideo sine piaculo nec omitti, nec mutari pro arbitrio editorum posse. Sed

hoc

hoc genus notarum ignoras, & rarissime ad codices recurris, semper ad elementa tua Rhetorica revolutus. Et hoc ergo habeas; vicisti Licentiate, & licebit tibi posthac per me impune in omnes librorum & capitum titulos grassari; licebit tibi irasci huic editori, qui in primi libri parte posuit *prologum*, illi, qui *prooemium*, & ita bilem in quoscumque exonerare.

Pag. 194. Edit. m. culpas, me reliquisse *praeceptionem*, quod in aliis ante me editionibus obtinuit locum suum (quae criminatio ad secundum caput etiam potuisset referri) cum te judice *perceptio* debuisset reponi. Sed cur tibi vindicas, quod *Turnebus*, & *Almeloveenius* jam diu ante te monuerunt? & quorum notas exhibui ad lib. 11. cap. 17. in fine. Et cur eadem ample & largiter hic in praefatione, deinde ipso illo capite n. 57. 129. & 131. & alibi summo cum fastu repetis? Ego vero fateor mentis & frontis meae imbecillitatem, qua non facile novare sustineo antiquas lectiones, nisi extra omnem controversiam & dubitationem eas recipi posse videam: & contentus Lectores, vel meis, vel aliorum exhibitis notis, monere, variare codices, aut virorum doctorum conjecturas, manum abstineo ab omni mutatione. Sed an censes me non aeque potuisse notam tam facilem, & tam putide toties repetitam exstruere, ex Vossii cap. 2. de Logica, quod *Almeloveenius* adduxerat, & ex ejus etiam indicio Diomedis locum, quem tibi vindicas, emendare, & deinde operose docere καταλήψεις a Graecis Doctoribus dici, quae Latine *perceptiones* deberent vocari. Non tamen adhuc satis liquere puto, an in Diomede aliquid mutandum sit, cum idem *Artem* esse dicat, *quod arto praecepto singula definiat*, quod etsi ineptum, ut multa Grammaticorum, docet tamen Diomedem praetulisse in definitione, *praeceptionum constructionem*. Praeterea addit *artem* non solis *perceptionibus*, sed etiam *usu*, *traditione & ratione perceptam esse scientiam*; si ergo & usu, &c. aeque ac perceptionibus construatur ars, cur non possim aequo jure *praeceptionem* atque *perceptionem* retinere. Denique cur non ex *Nizolio* tuo, quo saepe uteris, ex auctore ad Herennium lib. 1. cap. 2. produxisti, *Ars est praeceptio*, & correxisti *perceptio*, licet ibi nulla notentur ab editoribus variantis scripturae vestigia? Tandem, quod me praecipue induxit, ne loco moverem *praeceptiones*, fuit, quod *Vossium*, magnum illum Philologum, cui te, spero, non comparabis, viderim dubitasse, an non promiscue veteres dixerint, *praeceptiones* & *perceptiones*, ut Graeci Θεωρήματα & καταλήψεις, neque mihi, licet cum Vossio & post illum tecum etiam probarem *perceptiones*, contra plurimorum codicum consensum decernere libuerit. Si enim unius codicis auctoritatem secutus hoc recipere ausus fuissem, & tibi contraria sedisset sententia, parata fuisset temeritatis & audaciae, qua me saepe accusas, criminatio. Sed ignobilis & paedagogicae contentionis finem facio, & *perceptiones* potiori jure posse locum tueri, non tibi, sed *Vossio* & aliis, qui ante te monuerunt, lubens concedo, licet nesciam adhuc, utrum Fabius praetulerit.

Pag. 227. Ed. m. mihi adscribis, quod non in verbis Quinctiliani admiserim emendationem, tibi post editionem meam natam. Quid vero iniquius aut durius exigere potuisses! Quid gloriaris, nimis quidem, ut mihi videtur, pro Theologiae studio modestiam exigente, ferociter & arroganter, te, quod octuagin-

ginta trium editionum curatores non deprehenderunt, invenisse? & quid mihi, quod non divinaverim post tot viros doctos, exoriturum aliquem Theologum Licentiatum, qui oculatior ceteris vitium ab omnibus neglectum emacularet, irasceris? Quid adscribis mihi soli, quod octuaginta tribus aequo jure attribuere potuisses? Hoc colore omnes, post me jam mortuum & sepultum, quae subnascentur probabiles in Quinctiliano emendationes, a me praecipi & occupari debuisse contendes. Tam felicem vatem aut conjectorem me esse non jacto, ut quae post ea, quibus aliquid edo, tempora emendabunt alii, divinare aut olfacere possim. Si haec est stupiditas, eadem sub caussa *Scaligeros*, *Casaubonos*, *Gronovios*, & quidquid floruit commentatorum in Graecos & Latinos auctores, damnabis, quod non cogitatione praesumserint omnia, quae post eos emersuri *Capperonnerii* emendare se gloriabuntur. Sed si haec valeat criminatio, exoriatur post cineres nostros & vestros vindex aliquis, qui *Capperonnerium* stuporis & inscientiae arguat, quod non omnium post se interpretum emendationes anticipaverit. Vides, quo Thrasonica illa gloriatio abeat, cum si modestius non vero absimilem conjecturam attulisses, inter plures, & me tibi suffragantem & applaudentem numerare fortasse potuisses.

Idem dictum tibi esto de loco lib. VII. cap. 4. ubi pro Ποιότητος, Πηλικότητος conjicis legendum. De talibus enim liberum tibi, si sine alterius fiat contumeliosa insectatione, cui id in mentem non venerat, arbitrium relinquo.

Pag. 626. post maximum *Cujatium* emendas, *apud Centumviros*, pro *Consules*, illudque confirmas verbis, quae *Sichardus* praeiverat. Sed si jam assentire tibi vellem, rogare tamen fas foret, quid hoc ad me culpandum attineat, cum ego *Sichardi* notam protulerim, & eadem tibi formula, qua tu vel alia simili millies, ubi ego sine ulla verborum Fabii mutatione in notis quid tento, in me uteris, respondere queam, *vulgatum praetuli, quod in scriptis & editis reperi*, mutare nihil ausus, vel volens, contra fidem MSS. & editorum.

Monere tamen Lectores hoc loco visum est te eodem capite, pag. m. 633. in tua 444. n. 159. insignem omnibus minus cautis lectoribus fucum facere, dum illustrare te jactas *inscriptum maleficium* ex Declamat. CCLII. & CCCXLIV. nec simul moneas *Aerodium*, diu ante te natum, & multo amplius & manifestiore illa jam in luce posuisse, & te totam illam observationem illi debere. Et licet tibi concederem praestare *inscriptum* maleficium *scripto*, nihil esset tamen, quod mihi adscriberes culpae, qui ne verbo quidem de eo egerim, sed adjecisse contentus *Turnebi* notam, nihil definierim de voce, in qua nullus vel scriptus vel editus codex variabat; & quae per se satis defendi possit, cum & ipse *AErodius*, licet *inscriptum* praeferat, utramque lectionem defendi aequo jure posse adfirmet. Quaeritur enim an de eo maleficio certa & *specialis* (agnosco nitorem Gallulae eloquentiae) lex sit scripta nec ne, & hoc sensu de *scripto* maleficio vel *inscripto* controvertitur. Denique ab *Aerodio* locus Senecae, quem Tu ei suffuratus es, producitur, & *inscriptum maleficium* cum crimine stellionatus, cui titulus deest, confertur, quod tu quasi ex *Cujacio* didicisses adfers. Pudet me tam illiberalis ingenii, qui ubique arrodendi & carpendi captans occasiones, aequo jure, & ubi sileo, atque ubi aliquid notarum appono, calumniari

tibi

tibi licere, persuasum habes. An ego umquam professus fui me universa & singula Fabii verba explicaturum, aut emendaturum? An non satis laudis mihi deberi spondere poteram, si in locis vexatis, per conjecturas aut variantes lectiones Tibi, & aliis naris acutae venatoribus, ostenderim cubilia aberrationum, & quam ipse invenire praedam non poteram, felicioribus investigandam reliquerim; vel mea industria quaesitam jam canibus ferocioribus, qui ubi carnes fere devoratas offendunt, ossa rodere non cessant, sponte concesserim?

Quasi vero haec non exilia & levia satis essent criminationum capita, ad minuta etiam & concisa magis & tenuia, sequenti pagina delaberis, quorum indagatorem te acerrimum esse non tam mihi, qui te norunt, referunt; quam praemonstratorem, adjutorem & monitorem tibi multa talia suggerere, virum eruditum, cui tam ingentes agis gratias pro opera praestita, ferunt, magnum sine dubio exiguarum, nec tamen inutilium semper, observationum auctorem. Hunc ego tamen mihi amicum olim, inductus ejus, qua me Lutetiae excepit, humanitate, credebam; sed & hunc famoso meo libello, *Itinere in Arcadiam*, iniquiorem me reddidisse narrant, quam sortis meae iniquitatem animo durato feram, donec fortunam puduerit criminis sui: videamus ergo quantum sub tam severo & Rhadamantheo judice, admiserim facinus. Adeste Galluli, accurrite diariorum scriptores, arrigite aures Gorallistae, habet, captus est Burmannus. In crimine novo & atroci deprehensus tenetur: in verbis, *quale est factum reipb. laesae*, collocatum est perperam punctum! Tibi vero sagacissimae mentis beneficio, post rosos ungues, & caput diu scalptum tandem apparuit, legendum & distinguendum esse hoc modo. *Plurimum tamen est in eo, quale sit factum. Reipb. laesae* &c. Facinus morte piandum, neglecta tanta supinitate destinctiuncula meretur in catalogum errorum capitalium referri, qui deformant eum in modum editionem meam, ut plane nova *Capperonnerii* sit opus. Sed an non elegantius fecisses, si posita simpliciter, sine mea contumelia, distinctione, explicasses nobis, quid sit *rempb. laedere*, quod te video cum *majestate laesa* (plebejo enim sermone semper uteris) saepe confundere, sed quod nunc te planius docere non vacat. De reliquis, quibus primam aciem criminationum instruis, quia vel operarum vel priorum etiam editorum sunt lapsus, & in neglecta vel perperam hic & illic posita distinctione versantur, gratiam ut mihi facias rogo & supplico, & quo te faciliorem experiar, ultro etiam confiteor pag. 883. properanti contra mentem (nam ipse fateris me aliter docuisse altero loco) excidisse *Messalam* pro *Sulpicio*: quod, si ullus ignoscendi apud te locus esset, facile deprehendere potuisses, me ideo errasse, quod crederem illud *alterum* ad *Messalam* referri debere, cum ad *Sulpicium* deberet. Peccavi ergo, sanctissime pater, & ubi locus erit, emendabo, gratias tibi & praemonstratoribus tuis pro opera praestita, quas debeo, acturus.

CAP. II.

Secundum accuſationis Caput, de non receptis in textum melioribus, quae in notis occurrunt, lectionibus.

FEliciter ſatis primam velitationem nos excepiſſe videri poſſumus; ſed cum gravioris armaturae impetum timerem, obſtupui, fateor, cum in ſecundam aciem prodire viderem accuſationem non modo ridiculam & jocoſam, ſed & crimen, quod in laudem verti meretur. Summa eo redit, *quod depravatas lectiones in textu reliquerim, bonas autem in notis reliquerim.* Quam, ſi culpa vocanda erit, tantum abeſt, ut deprecer, & commiſſum aut peccatum hac in parte confitear, ut publice praedicare non erubeſcam, id de induſtria me ſaepe admiſiſſe, & modeſtiae meae gratias agendas eſſe contendam. Non enim tantum mihi ſumo, ut facile receptam mutem lectionem, neque placet Criticorum illorum audacia, quae hodie admodum invaleſcere incipit, qua brevi efficietur, ut alios plane auctores poſteri noſtri ſint habituri, atque majores noſtri legerint. Credo ſufficere, ſi diligenter Codicum variationes ſubjiciantur, & prima ſpecie blandientes, probabiles magis quam verae ſaepe, lectiones non in ipſum auctorum textum recipiantur, ſed in notis exhibeantur, quibus unuſquiſque poſtea in rem ſuam uti poteſt. Textum vero, ut vocari mos eſt, receptum non facile mutare ſoleo, niſi manifeſte vitioſus ſit. Deprehendi enim millies, poſtea exſurgere novos Criticos, qui repudiatam & ejectam lectionem reducunt, & egregie vindicant contra illos, qui nimia novandi prurigine omnia fere novare ſuſtinuerunt. Si vero hoc tuum tam leve & obtuſum telum retorquere vellem, & ſine taedio lectorum longam ſeriem locorum, in quibus tu admittis, quod in me culpas, pertexere vellem, facile oſtenderem, te in notis tuis probare ſaepe diverſam lectionem illi, quam in ipſis Fabii verbis exhibes, denique te, qui tam acerbum delectum errorum meorum agis, contenderem, jam approbare omnes notas meas, quibus notam criminationis non appoſuiſti: nam in tam acerbo delectu te aliquid praeteriiſſe, quod animadverſione dignum non videbatur, nemini fiet veriſimile.

Pag. 37. n. 79. oſtendi, melius legi *muſta*, quod ſilentio approbas, ego tamen *mulſa* reliqui, nec tu, licet melius eſſe fatearis, aliam lectionem mutaſti. pag. 670. n. 111. in fine libri x. ſtolide in me inveheris, quod vulgatam lectionem non removerim, quam tamen defendendam numquam ſuſcepi, tantum monui, duabus exceptis editionibus in reliquis, quas adhibui, reperiri, & Badium eam tueri. Hunc ergo aggredi debuiſſes, non me, & ex aliis locis, quibus docet Fabius, *ideo ſcribendum eſſe*, *ut quae ſcripſimus*, *memoriter* (o Latinitatem vere politam!) *ediſcamus*, oſtendere, non ubique omnia, quae *Pſeudo-Turnebus*, *Badius*, *Moſellanus* & omnis reliqua commentatorum turba, te judice, commiſerunt, in mei unius caput conferre. Pag. 106. dixi in notis rectius & Latinius multo dici *coetum ſodalium*, quam *ſcholarum*, nec obloqueris, & tamen

men reliquisti in textu *scholarum*, quod si jure te facere putasti, tuum fuisset ostendere, & Latine id & eleganter dici. Sed has raro tibi partes sumis, in elementis Rhetoricis semper versatus: mox iterum pag. 108. n. 16. doceo multo melius legi, *& in pestilentiam responsa*. Acquiescis, nec mutas aliquid in verbis Fabii; quare ejusdem criminis reus agi jure poteras, si quis leges tuas in te exercere vellet. Lib. v. cap. 14. pag. 488. Ed. m. & 343. tuae, depravatissimo loco medicinam videor aliquam attulisse; nihil enim oblatras, & cum ego non ausus fuerim verborum seriem turbare, neque tu aliquid novas, qui tamen immiti illi legi, *optimas lectiones in textum esse inserendas*, quam ipse tulisti, obtemperare debueras. Sed quid in his moror? Omnes fere notae essent adducendae, & hanc calumniandi rationem esse potius indocti veteratoris, quam honesti Critici, ostendendum: saepe enim conversa accusatione, culpabis audaciam & temeritatem, ubicumque vel literae vel syllabae unius mutatione, remedium affectis locis feram, & ita semper, sive mutem, sive relinquam veterem lectionem, cavillandi aperta tibi erit janua.

Ante tamen quam ad tertium caput transeam, ne videar caussam deserere, unum aut alterum, quem hîc producis, locum excutiam. Pag. 358. Ed. meae, culpas, quód pro, *de fine quaeritur*, reliquerim in textu, de *jure quaeritur*, licet in notis monuerim variare scriptos, & non obscure me illud approbare innuerim. Fateor me potuisse mutare, sed prae frontis meae imbecillitate non ausum fuisse, tu vero, qui tibi hujus emendationis gloriam arrogas, debuisses Cl. *Gronovium* laudare, qui ad Declam. CCCXLII. id jam monuerat, & *Finem* pro *finitione*, vel *definitione*, passim sumi docuerat: tu vero callide & sinistre ex ejus notis suffuraris, quae adducis ex lib. VII. cap. 5. & 6. Neque dissimulare debueras *Regium* jam hanc *τοῦ finis* significationem, quam tu tam putide saepe jactas, non ignorasse, ut ex notis ad lib. II. cap. 15. ubi impudenter iterum ejus scrinia compilas, patet. Me autem ignorantiae reum agere, omnem superat impudentiam: nam sine dubio legisti notam meam, quam ad lib. II. 1 pag. 128. n. 36. adducis, ubi me idem notare lector doceri potest. Quantum ergo ad paedagogicae scientiae summam te adjecisse cumulum credis, qui in notis tuis centies repetis, *Finem* esse *finitionem* aut *definitionem*, *finire* esse *definire*, & *statum definitivum* indicari, idemque esse quod ὅρος apud Graecos. Vide pag. 18. n. 1. 121. n. 80. & 81. 124. n. 153. 126. n. 32. 158. n. 78. 170. n. 177. 168. n. 192. 169. n. 202. 191. n. 18. 433. n. 100. 434. n. 114. 435. n. 158. & saepe alibi; nam nec in indice saepe te eadem monuisse dissimulas: sed pueris te scripsisse notas, qui nisi centies elementa repetantur, & ediscenda dictata dentur, aeque facile dediscere quam arripere solent, vel senibus obliviosis, postea docebimus.

Pag. 811. Ed. m. & 579. n. 157. tuae, reliqui vulgatam lectionem, & in *Turnebi* notis, te ipso judice, meliorem legi curavi. Cur ergo non sequeris, sed potius tertiam, quae mihi pro Turnebiana minus probabilis videtur, arripis? Sed ita de diversis lectionibus disputas, ut lector dubius saepe manere debeat (nam duas diversas probas) quam ex lege, a te dicta, eligere debeat. Tu vero ex edicto tuo perpetuo, secundum quod inter Ludimagistros quaestionem paedagogicam exercebis, debueras in textum inserere utramque, hoc

modo, *κοινωνίαν vel συνωνυμίαν*: quod ridiculum certe foret. Pag. 823. meae, & 583. n. 352. & seq. tuae, arguis quod post τὸ *lex* punctum sit positum pro semicolo (grande & morte piandum facinus!) quod tamen ante me alii & ipse *Obrechtus* admisit, & recte esse distinctum, nec turbari sententiam planissime ostendi posset. Deinde culpas, me ejecisse τὸ *quod*, ad exemplum etiam *Obrechti*, licet aliae editiones exhibeant: cum, si tecum cavillari liberet, jure id factum esse, si a me profectum foret, defendere liceret. Nam si subaudias τὸ *illud*, quod millies & eleganter etiam omittitur, plana erit sententia, nec *semper contrapositum subjungitur*, &c. *Verum* (illud) *quod de singulis verbis*. Et ita optime respondebunt illa verbis Ciceronis ex lib. III. de orat. cap. 54. Tu vero ipse pag. 231. n. 151. praefers, *qui sunt ab Isocrate*, alteri lectioni, *ii qui sunt*, licet ita MS. Codex exhiberet. Neque etiam bona fide mecum agere videris, cum in verbis ante *refertur* exstare ais, *ductum* vel *dictum*, idque exhibere Voss. sec. & Obrechtianam editionem, quod utrumque falsum est. Nec enim ego ex Vossiano codice id notavi, nec tu eum umquam inspexisti, & si lippitudo non impediat, in Obrechtiana id non conspicies. Ubi ergo confidentissimae adfirmationis tuae fides, o Theologe Licentiate? Sed taedet me puerilis hujus calumniae, & quae nulli Critico, qui umquam codices tractavit, & auctores edidit, in mentem venire potuit. Quare ut uno verbo absolvam omnia hujus classis crimina, idem dictum habe de reliquis Fabii locis, quae mutare nolui, nec eo temeritatis & audaciae processisse me fateor, ut verba recepta, quamdiu ulla dubitandi mihi ratio superstit, mutare sustineam, tibique & confidentissimae Paedagogorum turbae hanc lauream numquam invidebo.

CAP. III.

De variis lectionibus, & plurimis ex iis inutilibus, quod est accusationis caput tertium.

VItavimus & hujus in me directae aciei tela, levia admodum, & quae si jam tangerent, vix summam cutem destrictura vulnera, certe alta numquam, imponerent. Tertius jam in me ordo incurrit, quem facillime non modo sustinere, sed si tuo more ferocire vellem, spiritu difflare possem: Hìc vero, tamquam de aris & focis ageretur, clamas, insanis, debaccharis, & *me innumerum variantium lectionum numerum* (ô dignam Rhetorices magistro figuram, & Lucretianam *innumerum numerum!*) produxisse, *quarum pleraeque in supinas dormitantium scribarum allucinationes videntur esse refundendae*. Per me licet, o acutissime Licentiate, non intercedo, quin refundas in scribas *innumerum* illum *numerum*. Sed honestius fecisses, si omnes mihi reliquisses, & ab editione tua rejecisses, aut pro tam molesto labore a me suscepto meritas mihi gratias egisses. Non modo tibi assentior, plurimas esse varias & falsas, sed centies agnovi: & tamen contendo, eo nomine solo me plus de Fabio meruisse, quam tu cum omni inutilium nota-

tarum farragine; teque ordine & recte facturum fuisse omnes fatebuntur, si ex Regia & Colbertina bibliotheca omnes codices, quos vix semel obiter te inspexisse profiteris, diligenter excussisses, & non in minutissimis, concisis & contortis Rhetoricae quaestiunculis omne otium perdidisses. Sed ô bone vir, si hoc peccare est, cur non in omnes omnino declamas viros doctos, qui variarum lectionum, maximam partem inutilium, libellos concinnarunt, eo tantum consilio, ut ex vitiosis & saepe falsis lectionibus, aut earum vestigiis, acuti post se homines veram indagarent, quod centies ex voto successisse novisti, & ipse tibi magnum inde gloriandi & te venditandi natam esse occasionem non diffiteberis. Nonne ex imperiti librarii lapsu, qui κοινωμίαν dederat, tu magnificam illam, & quae divinitus tibi soli & primo in mentem scil. venerat, conjecturam, qua κοινωνίαν restituis, exsculpsisti? Tu vero, qui securus omnium codicum, & deposito omni conferendi labore & molestia, meo sudore frueris, poscesne, ut catalogum contexam inutilissimarum lectionum, quas tu transtulisti in tuam editionem, & ostendam te multo probabilioribus resectis, pessimas saepe retinuisse. Sed decessisset multum moli & pretio tuae editionis, si ex *innumero* illo *numero*, innumerabilem adhuc acervum servasses. Cur vero pag. 84. n. 23. ineptam lectionem ex margine Basil. *a fronte* non abjecisti; qua absurdior excogitari non potuerat? an ad Rhetoricae mysteria percipienda, facere credidisti, si n. 30. pro *nec*, in Cod. Almel. legi *neque* moneretur lector? Cur pag. 188. n. 69. Steph. Edit. absurdam lectionem, quam ego omiseram ut operarum lapsum, *at vero*, magna cum ambitione, & simul Homeri de Thersite locum, quem nemo ignorabat, producis? & iterum repetis pag. 236. n. 261. An ad eruditorum subsidium facere credebas, si pag. 285. n. 104. pro *Scaro* vitiose *Scaurum* legi moneres? Sed qua fronte pag. 313. n. 132. *propriora*, vocem Grammaticis damnatam, & si jam Latina censeri posset, eo loco incongruam ex MSS. profers? Cur eadem pagina n. 134. pro *sic*, in codicibus legi *ita* notas? & iterum eadem pag. n. 143. bis producis, *utrumne tuum an illius*, in eadem nota ex Vossiano tertio, quod ego semel adduxeram. Haeccine est fastidiosa illa & Censoria, qua te jactas, diligentia? Homo es, mi Licentiate, & quamquam ad magni Praesulis dignitatem tibi dedicatio & praefatio viam forte aperiret, (nisi Falconnetum, illum, puto, Archiatrum, levis & desultorius cliens offenderis) obnoxius tamen erroribus & ineptus Rhetoricae artis magister manebis. Cur vero ex Codice Almelovenii, quem toties petulantem in modum exagitas, subsidia petis conjecturis tuis? & pag. 342. n. 129. *alligemus* producis, quod sanae mentis nemo Criticorum pro *allicimus* recipiet, etsi jam *alligamus* esset scriptum. An non ridiculum sensum exhibet p. 377. n. 133. *salsa dignitas*? Tu tamen eam profers. Ex Vossianis pag. 504. n. 91. aperte ineptam & absurdam lectionem *duce moleos*, legi in tua editione pateris. Sed finis his nugacibus, & quae omnes in te retorqueri possunt, criminationibus faciendus, cum nulla sit pagina, ex qua non ineptiores, quas servasti, rejectis produci possent, & quas tu retinuisse videris, ne nimium molis volumini tuo decederet. Quare desino, cum neminem talia lecturum, aut collata utriusque editione ad severam Criticae artis legem exacturum confidam. Unum tamen praeter-

terea addere placet. Si farraginem illam inutilium lectionum fastidis, qua patientia potuisti legere & probare illas, quas sodalis tuus, & ludimagistrorum barbarorum & rudium Coryphaeus, *Maittairius* tibi ex Campani sola editione transmisit? Cujus diligentiam & officium tam invidioso praeconio ornas, & cujus ille industriae specimen ad omnium paedagogorum & Gallulorum judicem supremum *Clericum* allegavit? Oportet te stomacho tunc bono fuisse, mi Capperonneri, qui futilis hominis nugas, prae *innumero* illo *numero* lectionum a me productarum, concoxeris: sed misso hoc hominum genere, & dignis eorum *pedantismo* nugis, videamus, quid quarto accusationis capite mihi intentare non erubescas.

CAP. IV.

Accusationis caput quartum de notis, partim ad rem non pertinentibus, partim obscurantibus mentem Fabii, partim erroribus scatentibus, &c.

NUnc demum justis me armis aggredi videberis, & cum omnia, quae tribus capitibus adduxisti crimina, alios potius quam me tangant, qui gravissimorum virorum vestigiis inhaesi, nunc in unum Burmannum gravis armaturae copias produces. Nunc te Capperonnerium, qui *Scaligeros*, *Budaeos* &c. emendabis, & novum lumen hoc seculo praeferes, ostendes, & miserum Burmannum, hoc quarto accusationis capite, in discrimen famae & eruditionis adduces. Sed videamus, cujus me insimules criminis: *Infarsisse me*, ais, *congestas in Quinctiliani contextum notas pluribus interpretationibus, quarum aliae ad rem non pertinent, aliae Fabii mentem obscurant potius, quam illustrant, aliae gravissimis etiam scatent erroribus, quaedam Graecas locutiones Latine non tam vertunt, quam pervertunt*. Vellem, eloquentissime Licentiate, haec quatuor quartae criminationis capitula per species & ordine legitimo proposita, distincte etiam probare voluisses. Hoc enim proprium nationi tuae, prae aliis, jactari novisti, ut certum ordinem &, ut vos vocatis, *methodum* accuratam in omni oratione servetis; qua dote longe vos crassarum gentium sub septentrione confusas & commixtas farragines superatis, ut centies hanc Gallulis esse propriam laudem *Clericus* & alii adfirmarunt. Debueras vero, si Gallus censeri volebas, apertius loqui, ne lector dubitaret, an illas notas, quas *congestas in contextum Quinctiliani infarseram* (quam Phrasim vix intelligo, cum verbis Fabii me subjecisse notas sciam) a me & ex mea penu profectas, an ab aliis olim conscriptas, & a me tantum digestas indicare volueris. Deinde ubi per tenebricosam orationem crepusculi quaedam lux tenuis lectori apparuisset, ordine probare, illas notas sive meas, sive Variorum, I. *Non ad rem pertinere*. II. *Obscurare mentem Fabii*. III. *Scatere gravissimis erroribus*. IV. *Graecas locutiones non tam versas, quam perversas*. Tu vero haec quatuor capita ita inter se confundis & permisces, ut

Lector, etiam attentus & diligens, nequeat de singulis dijudicare, jurene damnandus sim, an absolvendus. Quid? an contagione harum notarum, maximam partem ex septentrione in Fabium congestarum, transiit in te illa labes & confusionis morbus, ut ex beato illo, puro, subtili & molli aëre, qui vos divina quadam mentis alacritate animat & inspirat, in crassum arctoi orbis coelum migrasse videaris? me solum & unicum peti a te credebam, nunc video, mitigatum te & placidiorem meis fere notis parcere, & omnia tela verius in *Turnebum*, *Badium*, *Mosellanum*, *Almelovenium*, &c. conjici, & tunc per illorum demum corpora in me transire. Novum vero & ante hunc diem inauditum, si unum, quem mox producam, Italum excipias, crimen, ut qui variorum notas in unum congerat, omnium, quae istarum auctores peccant, reus agatur. Itane vero, qui posthac auctores ita ornatos editurus est, singulorum tam diligenter excutere cogetur notas, ut non modo apertos errores omnium omnino interpretum longa oratione refellat, sed singula etiam, quae adduxerunt, veterum & recentiorum scriptorum loca examinet & expendat. Deinde si ex Graecis quaedam producant, Latine vertat, aut si id jam occupaverint alii, versionem ipsam & singula verba ad Graeci auctoris mentem exigat, & pro illis alias, si exstent, versiones adhibeat: denique non in auctorem modo ipsum, sed in omnes interpretes, & commentatores censuram acerbissimam exerceat, singula illorum verba & locutiones, tractet, confodiat, emendet addat aut detrahat utilia, inutilia, duriter immisericorditerque quemque nactus sit mutilet, laceret, conscindat: Si haec placuisset Belgis & Germanis vexandi notarum collectores ratio, quam non potuissent Parisienses illae editiones, quae Suetonium, Tacitum, Catullum, Tibullum, Propertium, Martialem, & tot alios nobis diversorum notis oneratos, dederunt, exagitari, & earum moles *innumero numero* censoriarum notarum ita augeri, ut vix manibus tolli potuissent: Si tale quid metuere se posse credidissent *Gronovius* & *Graevius*, certe a congerendis in unum aliorum notis, quas intactas & inculpatas exhibuerunt, manum abstinuissent. Sed ne, acutissime Licentiate, plane te novum hujus criticum ferrum acuendi rationis auctorem esse jactes, alium tibi, qui praeivit, monstrabo, durum etiam, & qui odio quosvis importunos Criticos vincere possit, hominem, lapsarum in Italia literarum & humanitatis instauratorem, (pene tuo exemplo, quia eleganter loqui soles, *restauratorem* dixeram) *Facciolatum*, qui probaturus nobis in Septentrionem projectis Belgis & Germanis, & qui in Italia jacere etiam literas, & humanitatis studia calumniantur, se *Politianos* & *Victorios* relaturum, ominis boni caussa a Cicerone illustrando auspicari voluit. Et licet nos hebetes & stupidi, post *Minellium* & *Junckerum*, tali magistro in interpretandis scriptoribus non egere ostenderemus, pugnabit tamen pro gentis suae decore, & interpretes illos Ciceronis Boreales brevi in ordinem rediget. Cujus futurae magnitudinis, & excellentiae, qua Italiam denuo illustrabit, ut omen certum capiant ejus populares, protulit nuper insigne paedagogicae eruditionis specimen in Orationem Tullii pro Quinctio, & simul de *Graevio*, plebejo illo & proletario commentatore, hanc gravissimam & tuae similem tulit sententiam. *Illo usus sum, utarque in posterum,*

ut

ut interprete ingeniosissimo (accipimus quod dat) *qui tamen nimia quadam abreptus gloriae cupiditate, ut magna variarum rerum volumina celerrime* (non novisti, Facciolate, Graevium, de cujus cunctatione saepius quam festinatione omnes questi fuerunt) *adornaret, multa miscuit, nec tam saepe quid scriberet, quam quantum scriberet, cogitavit. Nolo hic per singula discurrere: sed tamen ita reputo, ubicumque in* Hottomannum *aut* in Lambinum, *aut in alios Graevianis Scholiis insertos, a nobis aliquid dicitur, id in ipsum dici* Graevium, *qui cum multa in multis libere castigaverit, EA CENSETUR PROBASSE OMNIA, QUAE PRO SUSCEPTO MUNERE NON IMPROBAVIT:* Ecce par & simile mihi & venerando praeceptori meo fatum! Incurrunt in nos duo, plebeji & vitio creati censores, alieni operis molesti exactores, paedagogi arrogantia intolerabiles, qui leges nobis & omnibus, qui posthac variorum notas congerent, scribent ineptas & stultissimas, nec permittent ut cujusquam notas adjiciamus, quin singulas ita excutiamus, refellamus, & emendemus, ut si quid praeterire visum fuerit, id omne, quod illi peccarunt, nobis adscribatur. Lepida vero capita, si cerebrum in vacuo vertice haberetis, ô *Facciolate* & *Capperonneri*, amore nugarum par nobile, & gemellum! Videtis nempe hanc unam jejunis & varia eruditione destitutis magistris apparere viam, grandes & immensi ponderis libros extrudendi, quos Regibus & regiis magistris, qui eos numquam legent, non dubitatis offerre, ut ex vasta libri mole & singulis paginis saepe apparente uncialibus literis CAPPER. & FACCIOL. *innumerum numerum* notarum vestrarum conjiciant, & aequo auri pondere, vel lucrosis honoribus pensent. Sed si hanc legem perferendam jusserit Eruditorum ordo, cur, ô duri cordis & oris Licentiate, non meas ubique irruis in notas, & de tam *innumero numero* paucas admodum, & in quibus de nugis Grammaticis & Rhetoricis tricaris, audes confutare, & nullas fere conscribis notas, in illa Fabii capita, ubi vela ipse eloquentiae suae pandit, & productis aliorum verbis & fragmentis tot Criticis cruces figit, ut in Capitibus *de Risu*, *Memoria* &c. aut me aut alios interpretes, ubi de desperatis Fabii locis, aut de antiquitatis aut sermonis Romani obscuris monumentis disquiritur, aggrederis? Ove placidior hujus generis adnotationes fere omnes praeteris, sed lupi rabiem in Rhetoricae elementa spectantes, non tam meas, quam aliorum notas, sumis. Sed liceat mihi, pace tua, hanc molestam Augiae stabulum purgandi provinciam deprecari, liceat mihi *Turnebi*, *Camerarii*, *Mosellani*, *Parei*, *Pini*, *Gronovii*, *Almelovenii*, & si quae aliorum occurrunt, notas in meam editionem congerere, illisque aut censoriam notam (quod saepe a me, te quoque adprobante, factum non negabis) apponere, aut tacito praeterire illorum interpretationes, licet tuo judicio incongruae & ad rem pertinentes non videantur. Liceat mihi brevitati consulere, ut plerumque studeo, nec ex infamia aliorum, qui unicus tuae editionis finis, famam quaerere. Quantus vero, quaeso, Quinctiliani codex exisset, si ad singulas aliorum notas, ego longiores adjicere cogerer? Quam non *grandi & gravi commentationum ex variis panniculis consutarum strue cumulatum*, jam gravans tui operis consors & nugarum incongruarum particeps & adjutor *Mattairius*, meum Quinctilianum gemuisset, qui jam *suorum*

(ha-

(habet enim peculiares sibi, ut Rex regios,) *Bibliopolarum officinas & foros me onerasse* clamat, si tanta accessione censoriarum animadversionum habilem nunc codicem auxissem. Quid vero futurum erit, si forte secundae editioni manus esset admovenda? Jam terribili illi ponderi editionis tuae immensa adjici deberent incrementa, & omnes tuae, ô laboriosissime Rhetoricorum elementorum magister, notae non modo exhiberi, sed ad examen vocari & refelli debebunt. Ad singulas ineptiae, calumniae, malitiosae insultationes, furta & fraudes, ita exaggeranda & amplificanda erunt, ut si forte Regi aut Principi dedicatum opus offerendi libido aut ambitio me incederet, non de manu in manum tradere, sed plaustro in aulam invehere, & per bajulos in regium conclave importare cogerer. Tu deinde, si vivus adhuc vigensque, & ad proelia haec literaria promtus & paratus, alteram Tui Fabii editionem concinnares, qua prioris notas vindicares, meas omnes primae & secundae curae, & variorum notas omni duritie & contumelia exagitares, lacerares, confoderes, ex paucis, quibus nunc coërcetur Fabius, voluminibus, decem & ultra conficeres.

Sed redeamus in viam, a te institutam, & confusas inter se criminationes, si fieri potest, refutemus. Ex omnibus vero, quibus me oneras, criminibus, unicum agnosco, & statim post emissum meum Fabium (bona fide adsevero) jam agnoveram errorem, & in exemplari meo jam induxeram. pag. nim. m. Ed. 562. & parum attentum ad verba Ciceronis animum adhibuisse tunc, negare non audeo. Hunc ergo, ut in indicem errorum, quorum me reum peragi non repugnabo, referas facile patior, nec ei defendendo tempus insumam, sed me hominem esse, & errasse saepe, & frequentius etiam, quam tu mones, me ipse admonebo. Reliqua vero, quae plena manu ultima paragrapho cumulas, ipse vides, & post tam inhumanam acerbitatem, sponte fateris magis librariis aut festinanti calamo deberi, quam mihi meliora non docto. Hanc vel illam literam pro alia temere positam, verbum verbo suppositum, accentum aut neglectum, aut literae suae non imminentem, ipse, quae tua est post satiatam malitiam bonitas, *forte in operas Typographicas potius*, *quam in editorem ipsum refundere oportere*, censes. Ne tamen ingenua haec confitentis lapsum aliquem simplicitas ferocitatem tuam intendat, specimen unum aut alterum, clementis tui ingenii, qui me carnificinam in alienos foetus exercere vis, cernamus.

Pag. 23 Ed. meae. 14. vero tuae Clementis Alexandrini locum ab *Almelovenio* adductum male Latine verti, indignaris. Liceat hoc tibi, sed quae inde ad me redundat infamia, qui parum sollicitus de diligentia *Almelovenii*, ejus verba fideliter exhibui, & auctori suo, aut cuicumque ex hac ignobili arena palma petitur, vindicanda reliqui? Denique sive *Almelovenius*, sive, quod potius velim, librarius erraverit, & excidere sibi passus sit literam α, & ita πειλήπ|ες pro ἀπειλήπ|ες dederit, tantine is lapsus erat, ut & in praefatione principem, inter quatuor gravia crimina mihi adscripta, locum teneret, & deinde in notis eadem pompa repeteretur?

Levior sane, & pueris convenientior, quam Theologo Licentiato, altera accusatio, quod in Pseudo-Turnebi notis legatur *Euphonismus*, pro *Euphemismus*. Quid hoc ad me, qui ignoro, an ille sit Turnebi, an discipuli dictata exci-

pientis, an librarii aut correctoris lapsus, an novo hoc, & a se perperam formato vocabulo delectatus, ille quisquis Graeculus fuerit, dedita ita opera ediderit. Quam vellem, potentissime Licentiate, tibi Exorcistae vim adesse, ut excitares ab inferis daemonas, & per eos Turnebum, &, qui jam ad plures abierunt, interpretes consuleres de his sub nominibus eorum editis notis, aut si ipsos in lucem reducere posses, libenter te ad satietatem cum umbris his & larvis rixantem conspicerem, modo me ab his puerilibus & muliebribus altercationibus liberum absolveres, & me potius laudares, quod ante te jam graviores quosdam, & qui incautos in fraudem inducere lectores possent, errores Pseudo-Turnebi castigassem, quod te nunc principem facere tam ambitiose contendis. Sed cur dissimulas te legisse in praefatione haec mea verba, ex quibus discere potueras, me invito adjectas Turnebianas illas notas. En, si audire damnati hominis pro se orationem non indignaris, ipsa tibi verba. *Turnebi integras notas, ut ediderunt olim Parisienses subjeci magis, ne quid detraxisse Leidensi editioni viderer; quod Typographi praecipue caverant, quam ut mihi persuadeam dignas Turnebi eruditione & fama esse: tot enim inepte & indocte etiam dicta in illis notis offendi, quae hic recensere nihil attinet, cum id suis SAEPE locis factum sit, ut numquam a viro tam docto profectas esse credam; nisi si quis Tironi alicui dictatas esse, & male exceptas, pejusque descriptas esse, velit existimare.* Tune aliter umquam de Turnebianis his notis judicandum censuisti, aut graviorem sententiam tulisti? Candoris tui, ô Melanchlaene Licentiate, fuerat, lectorem judicii mei admonere, nihilque me commentario isti plus Te tribuere; saepe etiam emendasse & refutasse, saepe quoque neglexisse & praeteriisse, ut lubebat, & res ipsa suadebat. Tibi placeas, non invideo, tenui hac gloriola, & admirentur te discipuli tui, qui πολλῆς μετὰ φαντασίας pronuntias in Aphthonii loco citando Turnebum debuisse *probabilitatem* exhibere, pro *persuasione*; ignorasse eundem discrimen inter *thesim* & *communem locum*, perperam *conjecturalem statum* pro *qualitatis* appellasse, me haec & similia parum tangunt, & has spinas & sordes illiberales infimi subsellii Rhetorices magistris lubens relinquo. Tu modo cave, ne boni viri officium negligas, nec mihi adscribas, quae aliis debentur.

Utinam veto tantus dicendi magister dilucide & aperte scribendi artem calleres! Scirem certe, quid praecipue in me accusando intenderes, nec pag. 250. Edit. m. p. 171. n. 250. t. ubi me *notam adscripsisse* ad Quinctiliani verba, arguis, & quam furiose exagitas, haererem: dubitabunt enim mecum lectores, an ego auctor istius notae sim, an vero operae ex edito Turnebi codice expresserint, ut certe fecerunt, nulla mea opera usi aut abusi. Quis me peti a te non crederet pag. 257. Edit. m. p. 177. n. 373. t. ubi tu scribis, *aliam nullam Burmannus notam apposuit, nisi hanc absurdissimam ac insulsissimam*, quae tamen quanta quanta est, Turnebiana est, quam non ego apposui, sed a Typographis, qui id pacti erant, apponi sum passus. Si libuisset aut vacasset inutile tempus in Turnebianis notis excutiendis terere, an non aeque mihi patuisse credis Brissonii Lexicon, ubi reperirem in verbo *interdicere* hunc Quinctiliani locum citatum, & adjectam simul legem 111. §. 6. (non *Lib.* 3. §. 5. ut tu, diligentissime censor, laudas) ff. uti possidetis, & unde hîc & passim plenas furti & plagii notas

tas exstruerem. Hunc saltem doctissimo populari tuo, & celeberrimo Senatus amplissimi Principi honorem habere debuisses, nec pudere par fuisset, a tanto Viro, cujus copiae tibi saepe profuerunt, doceri. Sed quia ille Germanorum, qui corpore quam mente magis valent, modo collectanea spississima tantum congessisse videri potest, dedignaris ejus memoriam colere, & Turnebum, popularem quoque interpretem, ferula tua potius, quam Praesidis amplissimi censoria nota, ferire maluisti.

Eodem rigore me reprehendis, quod pag. 387. & 519. neglexerim in Turnebi nota, cujus plerasque vix dignas habui, nisi vitia in oculos incurrerent, tam anxie excutere, Hermogenis loca emendare: denique in praefatione mihi adscribis, inter alia, quod *Victorius* male verterit locum Demetrii Phalerei, (cujus librum me quoque post alios *de Interpretatione* citare cavillaris, cum *de Elocutione* debuerim, de quo nunc agere non vacat, quia res nihili est & infinitis doctorum virorum exemplis, ut ipse quaedam agnoscis, me defendere possem) cui socium addis *Tho. Gallaeum* (miror te non ab amico monitum illum *Galeum* rectius appellari, & *Gallaeum*, cujus saepe mentio in notis fit, longe esse diversum hominem) viros multum te & me doctiores, & quibus componi non irascor, licet ego ne verbum quidem ullum ad illum locum adjecerim. Poenituisse te quoque criminationis credo, quia pag. 364. n. 55. iisdem fere verbis repetens, quam in praefatione intenderas, accusationem, mihi parcis, & omnem culpam in *Victorium* transfers. Cui vero bono, nisi moli augendae, toties eadem in eodem volumine recoquere, ut etiam pag. 633. putidissime illa de *inscripto maleficio* repetita releguntur? Sed taedet pigetque minutissimarum ineptiarum. Ideoque nunc videamus, quibus balistis & catapultis ex ultima acie, quae arcis tibi instar est, meas copias caesas fugatas internecione occidas.

CAP. V.

Accusationis Caput ultimum de vocibus Technicis.

PRofligato quadruplici variae armaturae ordine, quem in me invexisti, *innumeri numeri* copiarum terribilis Imperator, res tibi nunc ad Triarios rediit, quos in subsidiis & ultima acie collocasti, qui succenturiati jam fugatis reliquis pugnam capessent. At quintum hoc grande & inexpiabile crimen habebitur, & eo majori supplicio vindicandum, quod sciens & sponte admiserim. Audiamus vero delatoris formulam: *Quod non curaverim explicare quae Fabius intellectu difficillima continet*, *TECHNICAS videlicet Philologorum & maxime Rhetorum DICTIONES* (agnosco & hac in voce, pene etiam *dictione* dixeram, summam Latinae linguae peritiam) *itemque loquendi formulas.* Concurrite, quaeso, & adeste, quotquot vivitis, Latinorum aut Graecorum auctorum editores, viri Literati & Philologi, emergite vos ab inferis, *Scaligeri*, *Casauboni*, *Salma-*

fii, *Gronovii*, *Graevii*, & omnis interpretum ordo, & ab hoc S. Theologiae Licentiato & Ambianensi Diacono, (ex quo grege nemo vestrûm Fabii commentatorem exoriturum divinare potuistis) & Professore Regio Graecae linguae, dictata excipite regia, & addiscite non solum *systema Figurarum*, (quo omnem Fabio impensum laborem novus Ephemeridum compilator, olim histrio, nunc librarius & bibliopola Hagiensis censendum praedicat) sed universam Rhetoricam & Grammaticam, in minutissima frusta & membra concisam & comminutam, & commentariis amplissimis ita obrutam, ut cum Scholasticis Logicarum ineptiarum interpretationibus de palma auctor certare jure possit, miremini & stupeatis. Illustres, Galliae olim decora, manes, Parisiensem arrectis auribus Rhetorem suspicite, qui cum ad illustrandum Fabium se accingeret, in museo suo in corona Rhetorum Graecorum & Latinorum medium se collocavit, & ex illis ad dextram positis ab Aldo & aliis editis, ex his ad sinistram dispositis, & in Pithoeanam editionem conjectis, ingentem sibi apparatum & horreum plenum *technicis dictionibus*, *& loquendi formulis* congessit. Qui denique ex Aristotele, Hermogene, Demetrio, Aphthonio, & ineditis etiam magistris, ex Cicerone, & quidquid olim scriptorum vel nuper Rhetoricam tractavit artem, coacervavit omnium opiniones, & in Lexica, (pene dixeram *dictionaria*) Rhetorica & communes locos amplissimos digessit, ut posthac non modo Quinctiliano unico & summo artis magistro feliciter uti, sed quicumque sive tiro, sive eloquentiae Professor, deinde ad alios Rhetoras interpretandos accingere se voluerit, ex Capperonnerii Thesauro, ut ex sutrina officina artifices solent, formas ad quaelibet Rhetoricae artis capita petere possitis. Tu quoque, ô maxime inter Rhetoras Heros & Coryphaee, Capperonneri, jam placido in otio consenescere & lucubrandi finem facere poteris. Hac enim penu instructa, jam sine ullo labore *innumero* librorum Rhetoricorum *numero* bibliopolarum officinas & foros onerare & distendere poteris. Si, ut minaris, Pithoeanos Rhetoras edere constitues, poteris, mutatis quae mutanda suadebit auctor quisque, easdem notas illis quoque accommodare, & quae ad Fabium subtiliter & tenuiter de singulis artis partibus disseruisti, ad illos copiose & uberrime amplificare, & ubi idem quod Fabius, aut diversum ab illo tradunt, longa e Fabio repetita oratione referre, & *technicas* illas *dictiones* & *loquendi formulas* recoctis interpretationibus denuo illustrare. Deinde ubi ad Graecos Rhetoras te contuleris, amplissimus tibi campus aperietur, omnes Graecas *dictiones* (quas etiam in *dictionarium* tuum Rhetoricum jam diu digessisti) & *loquendi formulas* Latine explanandi, & καταλήψεις, παρεγχειρήσεις, θέσεις, θεωρήματα, πηλικότητα, & nescio quas ignorabiles & obscuras voces, longa oratione illustrandi, & simul iterum in Burmannum, Turnebum & Almelovenium invectivas renovandi. O ingentem gloriae & famae super astra jam tendentis segetem! quam vivus metes, & quae mortuum aeternis cumulabit elogiis. Macte vero hac adorea & lauru Phoebea, tam singulari, tam praecipua, ô Theologe Licentiate, ad quam nullus umquam praesul adspiravit. Abjice protinus omnes utriusque Linguae (*videlicet* ut tu doctissime, & quod praeter te fere nemo commentatorum intellexit, explicas pag. 3. n. 7. *Graecae & La-*

ti-

tinae) scriptores, praeter eos, qui de Rhetorica laborarunt, sed solos locos communes tuos & Lexica & Glossaria Rhetorica, quae inexhaustum tibi horreum praebebunt, diligenter serva. Ex illis semper de iisdem rebus verbosissimas notas depromere, & centies eadem, ad diversorum scriptorum loca, ubi modo eaedem *dictiones & formulae loquendi* occurrent, reponere, in promtu erit. Neque facile tibi desperandam esse video laudem, qua vastissimos illos Thesauros, quibus Graecarum, Romanarum, Italicarum & Sicularum Antiquitatum scriptores innumeri comprehenduntur, superes, novo *Rhetorico Thesauro*, (vel ut appellare magis amas, *Philologica Bibliotheca*) si orbem literatum hoc munere locupletare volueris. Nunc enim Fabium, ingenti & Gigantea mole conspiciendum, Graecorum & Latinorum locis similibus & discrepantibus, notis, quibus omnis Graecorum & Romanorum artificum Technologia ampliter, & centies iisdem repetitis verbis, explicatur, constipatum tibi debemus. Cras Pithoeanos Rhetoras, tribus quatuorve voluminibus spectabiles, & iisdem fere, vel certe mutatis hîc & illic aliquot synonymis vel non multum dissimilibus verbis, adnotationibus oneratos; perendie Ciceronis Rhetorica & Oratoria opera, multos & longos ejusdem artis Magistrorum referens ter quaterve locos, illustrata commentariis repetitis protrudes. Mox deinde Graeci Rhetores ab Aldo proditi, & in primis Hermogenes, Georgius Diaeretes, Maximus Rhetor, Photii Amphilochia, &c. &c. &c. longo agmine & denso sequentur, & foros librarios implebunt. Hos excipiet Aristoteles, qui certe ut artis conditor & princeps, primam merebatur curam: hunc falsis illius Demetrii Phalerei, non de *interpretatione*, sed *de Elocutione* libellus, *Galei* absurda & indocta versione rejecta (quod multarum notarum dabit caussam) deinde *Abbas la Pure*, & *Gedoynus* ad terribile popularis sui Censorium citati tribunal contremiscent, quibus damnatis imperitiae artis Rhetoricae, & utriusque linguae insignis inscientiae, omnes reliqui Philologi in tuta se recipient, ne vulnerum, quae *Philologicae tuae dissertationes*, non Gallulo ferro, sed Germano acinace infligent, minae ipso conspectu Athletae eos exaniment. His tot & tantis voluminibus non Rhetoricae modo artis mysteria vulgabis, sed Poëticen, Hellenismum & pronuntiationem ejus, certis legibus & dictatis constitues, & explanabis, ut *Budaeos*, *Maussacos*, *Scaligeros*, *Vavassorem*, *Schefferum*, *Tollium*, *Normannum*, in his puerilibus elementis nihil vidisse, omnia confudisse, nec ipsos Tropos a Figuris discernere potuisse, claris & invictis argumentis docere videaris. Tandem *Latinae Linguae Thesauri* emendatio & amplificatio (dignum ergastuli incola opus) coronabit omnes pro rep. literaria exhaustos labores, & memori sepulchro, inter tot librorum titulos, insculptum literis grandioribus hoc ingenii tui monumentum Basilicam primam Parisiensem ornabit, nisi ante fatalem diem Scholastica e provincia ad Metropolitanae Dioeceseos splendorem transire coactus, titulis tuis Archiepiscopalem urbem se posteris ostentare jusseris. Haec omnia, pro modestia tua singulari, non in fronte libri, sed centies in notis tuis, & per compendium in indice sub CAPPERONNERII nomine (rarum certe exemplum Auctoris ipsius nomen tanta cum specie & pompa in indice memorari) annuntiata reperire poterit lector, & inde de

libris, quos a te ſperat orbis literatus, certam ſpem concipere. Applaudet jam tibi ex Batavia Magnus ille *Clericus*, unicum Gallulorum oraculum, qui nihil magis timet, quam ne Orcus ipſi pedes trahat, antequam tot volumina bibliothecae ſuae inſerere & commendare, & oculis invidis Belgarum & Germanorum objicere poſſit. Ludimagiſter etiam ille ejectus ludo, & nunc, ut damna reparet, magnus exiguorum voluminum editor, ex Britannia tibi gratulabitur excellentiam illam Rhetoricam, & quia tu Codices veteres conferre pigraris, ſubmittet tibi varias lectiones (nam Burmanni induſtria ubi a Fabio diſceſſeris, in illis te deficiet) & editionum veterum indices. Lutetiae denique omnes Burmannum, ob praejudicatam de ejus in nationem veſtram odii opinionem, exoſi, tibi monitores, adjutores & praemonſtratores aderunt, & ſub tuo clypeo latentes, ex occulto tela & lapides in eum conjicient, & ita miſerum illum Profeſſorem Leidenſem ut Penthea lacerabunt & conficient.

Sed extra jocum, graviſſime Licentiate, & jam propter dedicationem & praefationem (ut ſuſpicor, niſi ingratum ſeculum non intelligat Technicas illas notas) Epiſcopatus locupletiſſimi candidate, rogo, an non poſſis tot magnifice promiſſa & egregia ſane ſcripta, quibus onerare minaris orbem literatum, in pauciora volumina contrahere, & metum illum, quem craſſo & ponderoſo tuo Quinctiliano viſo, literati, diverſi & Arctoi orbis incolae non ſatis pecunioſi, conceperunt, minuere? Si enim non ſufficere veteribus Rhetoribus illuſtrandis, tot de arte Rhetorica conſcriptos a recentioribus libros exiſtimas, ſi nec ipſa *Voſſii*, (cujus aliquam rationem habere, & quem cum *Scaligeris* & *Budaeis* &c. ignaris technicorum verborum in ordinem redigere non videris) induſtria omnem materiem exhauſit, age ampliſſimum nobis profer hoc titulo, *de arte Rhetorica Commentarium, opera & ſtudio CAPPERONNERII ex Graecis & Latinis Rhetoribus compilatum, in quo oſtenditur* Scaligeros, Budaeos, Victorios, Turnebos, Muretos, Caſaubonos, Salmaſios *nihil, aut perpauca, (idque obiter) quae ad quarundam Fabii & omnium Rhetorum locutionum explanationem facerent, conſcripſiſſe, & certo & apto ordine & methodo* (quae propria Francicae nationis dos eſt) *ita ut quemcumque in veterum lectione ſcrupulum ſibi injici ſentiant lectores, continuo ad concinnatum hoc opus recurrentibus eximatur, in quo omnes omnium errores, quaſi in tabella poſiti, ita lectores advertant, ut poſthac nemo, niſi ſtipes ſit & plumbum, a vera via deducatur.* Aut ſi hoc minus placet, age, magnorum virorum, quorum plurimi Franciam ingenii & doctrinae lumine illuſtrarunt, veſtigia preme, & Lexicon vel Gloſſarium Rhetoricum, quo omnes *Rhetorum dictiones & loquendi formulae* comprehendantur, & explicentur ex locis tuis communibus, vel domeſticis commentariis, in lucem prode. Ita omnem inutilium, & centies alias repetendarum notarum *innumerum numerum* lucrifacies. Sed forte hanc provinciam relinques Jeſuitae *P. le Jay*, cujus *Bibliotheca Rhetorica* praecepta & exempla tam ligatae, quam ſolutae orationis complectitur. Tu vero commodiorem hanc ad famam viam inibis, quam millies ire & redire poteris, ſed quae nobis moleſta & ſaepe recocta crambe faſtidium longum movere, & ad omnium fere auctorum, quibus Technicae notae poſſunt adjungi, editiones renovatas horrorem incutere perpetuum poterunt. Nam ſi exemplum tuum, in hac, quae nunc regnat, in-

ingentium librorum edendorum cupiditate, aliis ſequi libuerit poſthac, ſine cenſurae Gallulorum metu, quas non timere librorum moles cogemur? Qui Lucretium edere in animum inducet, omnes Epicureae ſectae opiniones, ſcita, vocabula, & proprias loquendi formulas, ad ſingulos Poëtae verſus explicabit, & quotieſcumque, ut Poëtarum mos eſt, non eadem voce eaſdem res notet, centies eaſdem notas nobis apponet, Latinas voces Graecis ejuſdem ſignificatus ambitioſiſſime mutabit, & Gaſſendiani laboris magnitudinem inuſitata loquacitate longe vincet. Qui Manilii novam editionem curabit, exhauriet veterum & recentium Aſtronomorum ſcripta, quae ſuperſunt omnia, & ſecurus verſuum & poëtici artificii, & diverſas etiam lectiones, niſi quae jam cura doctorum virorum congeſtae ſunt, omnes negligens, in elementa diſciplinae ejus latiſſime ſe diffundet. O divine, exclamabit hîc lector cordatus & ſapiens, Hippocrates! quam vere tu *artem longam*, *& vitam brevem* pronuntiaſti? cogarne ego omnia haec ſcripta evolvere, & cum jam ſub magiſtris adoleſcens hoc puerile penſum me abſolviſſe ſperaveram, nunc vir factus, immo ſenex, telam hanc puerilem retexere a Paedagogis iſtis immiſericordibus cogar? Quidni potius, ô doctiſſime & omnis artis Rhetoricae prome conde, Capperonneri, imitaris melioris mentis commentatores, qui ubi nec Poëtas, nec Oratores, nec Hiſtoricos, ſed artium ſingularium ſcriptores edunt, iis adjicere ſolent gloſſaria, & in notis ſobrii & ſicci, tantum de vera lectione verborum & eorum ſenſu diſquirunt? Vitruvio qui manus admoverunt, utiliſſimum artis vocabulis, quae tu technica vocas, percipiendis eſſe crediderunt *Bernardini Balbi* Lexicon Vitruvianum; quod auxiſſe contentus *Johannes Laetius*, notarum inutilium nobis gratiam fecit. *Joh. Rhodius*, licet Danus gente, vir tamen vere doctus & ab omni faſtu Paedagogico longe alienus, Lexico Scriboniano omnia Medicis propria vocabula, & loquendi formulas, auctori ſuo familiares, incluſit, & in notis verum Criticum & Literatorem ſe exhibuit. Popularis tuus, ſed ab hodierna eruditionis puerilis oſtentatione longe abhorrens, *Nic. Rigaltius*, nihil Scholaſtici, aut ſupervacanei, notis criticis & doctiſſimis immiſcuit, ſed ne rei Agrariae voces & locutiones cupidum lectorem morarentur, *uſurpata quaedam Agrimenſoribus ſecretiore cenſu vocabula*, in unum collegit, & *gloſſarum Agrimenſoriarum* titulo calci libri ſui ſubjecit. Idem, ne longus ſim, *Rigaltius* in Tacticis Scriptoribus officium; Idem juris auctoribus *Ant. Auguſtinus*, *Franciſcus Pithoeus*, *Briſſonius* & alii praeſtiterunt. Tam illuſtria principum in re literaria virorum exempla premere decuiſſet, & ſemel moleſto hoc & pleno taedii labore defungi, ne quot fere paginis eadem vocabula aut formulae occurrant, tot notas, iiſdem ſaepe verbis conſignatas, legere & relegere ſummo cum faſtidio cogamur, & ſimul tot adhuc horrendos immenſa mole libros nobis imminere ſummo cum metu proſpiciamus. Credisne, me ita imparatum ab obvia & expoſita illa Rhetoricae arte (quam ego magis obſcurari, quam illuſtrari tanta & tam inutili Troporum, Figurarum & aliarum partium conciſarum multitudine, & ad non inferiorem Logicae infamiam deprimi credo) eſſe, ut ſi hoc agere voluiſſem, non multo gratiores lectoribus notas compilare potuiſſem? Quare non erat quod eo nomine meam editionem, quam nolui his crepun-

diis

diis & puerilibus ornamentis dedecorari, traducas, cum, si quis candor in tanto Theologo fuisset, debuisses lectores mei, diversi a tuo, instituti certiorem facere: nec me umquam intendisse in has nugas animum, aut tempus voluisse perdere, sed aperte professum talia longe a me futura, & frustra in notis quaesituros lectores monere: Non debuisses dissimulare, pro Theologica tua simplicitate, aut pati, lectores tuos in Francia (qui forte Editionem meam numquam viderunt, & nunc, inescati tuis deliciis & regalibus epulis, has municipales & septentrionales pultes aspernabuntur,) nescire, me instituti mei in praefatione rationem reddidisse: cujus summa huc redit, me ex codicum scriptorum, & prius editorum, quos consequi potui, copia satis magna variantes lectiones bona fide protulisse, & inficetis & puerilibus adnotatiunculis (id est de vocibus technicis & vulgatissimis, sive Rhetoricae, sive Geographiae, sive Historiae fabulosae aut verae sive antiquitatum obviarum interpretationibus, quibus *Minellius*, *Junckerus*, Commentatores in Usum Delphini &c. excellunt) valere jussis, notis quibusdam undique collectis (etiam quas, si per typographos licuisset, abfuisse mallem) meas etiam immiscuisse. Deinde quasi animo prospiciens CAPPERRONNERIUM quemdam (licet numquam de Theologo Licentiato somniaverim) exorturum haec verba me subjicere, *Commentarios conscribere, quibus ex diversis Rhetorices magistris, vel similes vel discrepantes a Fabio sententias congestas daremus, otio abutentis esse credebamus.* Et mox de *Pino*, qui in librum tertium, sed multo tamen sapientuis Te, instituerat talem commentarium, haec addere; *Antonii Pini commentarium ne integrum describi juberem, partim moles, partim institutum ejus a nostro diversum dissuasit: Ipse enim conquisitis undique subsidiis ex Rhetoribus & Oratoribus ipsa praecepta eloquentiae illustrare conatus est. Quod cum putidum, & non tam necessarium edenti libros, quam Rhetoricen docenti putemus, nos tantum verba Fabii recte constituere, & luce quadam perfundere conati sumus, & ideo illa solummodo etiam ex Pino, quibus idem studet, excerpsimus.* Quae ergo durities, quae tyrannis, me ludo iterum velle literario includere, unde dudum erupi, & millies mihi, hoc agere nolenti & lectores praemonenti, oggerere ignorantiae criminationes, & culpam in technicis vocabulis neglectis vel omissis admissam? Durus homo es, Capperonneri, &, qui si umquam tibi aequa Regibus potestas esset, manu militari cogeres omnes eruditos, jam viros, immo senes factos, iterum in subselliis Rhetorum considere, & ad minantis tanti Licentiati horrificas ferulas contremiscere. Sed Diis gratia, libertatem sine tyranno nacti sumus: loquimur, & scribimus, quae ratio & decor jubet, premimus vestigia *Scaligerorum*, *Victoriorum*, *Casaubonorum*, *Muretorum & similium*, quale genus hominum, te immiti judice, *aut nihil, aut perpauca (idque obiter) quae ad quarumdam Fabii locutionum explanationem facerent, conscripserunt.* Quis vero isthaec legens a risu temperet, & te consummatum, & qualem in scenam si viveret, *Molierius* vestras producere deberet, omnibus numeris perfectum *Pedantem* (venia sit verbo) non digito demonstret? Summos viros, & qui uno scripto plus literis contulerunt, quam tu omnibus insanis illis & putidis, quos minaris, libris umquam praestabis, prae te contemnens, in ergastulum Paedagogicum, si posses, concluderes; qui, si te novissent, infra Grammaticorum infimos

mos reputassent, & inter pueriles cathedras plorare & maledicere, aeternum sivissent. Quid ergo? nonne rectius & sapientius fecisses, si antequam tam grandi & inutili viris doctis sarcina, & insanae molis libro onerares foros bibliopolarum; tolerabilioris primum voluminis forma Fabium edidisses, quod nunc, quasi satias & nausea nondum tuarum mercium homines cepisset, polliceris.' Ita enim Epistola tua olim *Falconneto*, nunc non satis honorifice *Praesuli Foro-Juliensi*, mutato tantum capite & cauda, inscripta; loqueris. *Cum autem omnibus non libeat, nec forte liceat grandioris formae libros emere, ut plurium & maxime adolescentum, qui scholas Rhetoricas frequentant, utilitati consulatur, hunc eumdem librum* (intellige Fabium solum, sine tam insanis notis, licet verba sint dubia) *in longe minori forma, & (ut ajunt) in* 12°. *cum brevissimis ad difficiliora tantum loca notis, mox, immo nulla interposita mora, curabimus excudi.* Ridiculus me hercle homo es, Capperonneri, qui cum grandem & intractabilem, viris etiam, librum in puerorum gratiam conscripseris, ut ipsa re ostendis; nunc iterum in usum virorum doctorum notas, quales numquam proditas ad hunc usque diem videre meminimus, habilemque & exiguum libellum minime pecuniosis, & maxime Adolescentibus, qui scholas Rhetorum frequentant, te moliri pronunties. At negabis, credo, te pueris haec scripsisse, sed librum illum primae formae in folio principi & summae eruditorum classi erudiendae, &, ut supplementi vices praestaret ad ea, quae *Scaliger*, *Budaeus*, *Victorius* &c. vel ignorarunt, vel obiter tetigerunt, consummatumque artis Rhetoricae nobis specimen referret, elaborasse. Sed audi, bone vir, ne accidat tibi cave, quod Didymo accidisse Fabius refert lib. 1. cap. 8. ut si repugnes meae tanquam vanae adseverationi, ipsa tibi verba proferam, quibus id es professus: nam quia omnes, etiam indignas lectione, Rhetorum & Grammaticorum schedas (vel ut tu jubes, *scidas*) excussisse videri cupis, facile evenire potuit, ut commentarii tui, tot impedimentis pleni, tibi ipsi vix sint satis noti; Revocabo ergo in memoriam, quid de ratione commentarios, quales tu desideras & etiam nunc edidisti, scribendi censueris, & quale consilium futuris veterum auctorum interpretibus dederis. Meministi enim sine dubio Fabium lib. 1. cap. 8. de puerorum institutione, & in primis de ratione legendi libros agere, & quae partes sint Grammatici in praelegendo & explicando praecipere, & ab illo hoc inter alia exigere, *ut inter prima rudimenta demonstret puero, quot quaeque verba modis intelligenda sint.* Deinde, *majore jam cura doceat tropos omnes, quibus praecipue non poëma modo, sed etiam oratio cernatur, schemata utraque*, &c. Ubi tu victis, fugatis, & triumphatis *omnibus*, *qui variorum in classicos auctores commentarios compilarunt*, *imo etiam illis*, *qui ad libros in usum Serenissimi Galliarum Delphini edendos & explicandos aggressi sunt*, qui hoc institutum imitari debuerant, Tibi, & *Petro Chabotio* & Donato (grammatico docto nimis quam ut vobis associetur) qui hanc interpretandi methodum executi sunt, applaudis. Sed pudetne te in exemplum boni commentatoris *Chabotium* adducere? Qui Theologicis, Dialecticis, Grammaticis, Rhetoricis, Ethicis, & nescio quibus sordibus divinam Horatii Poësin conspurcavit, & quo nullus coelestis ingenii Poëtam ineptiori commentario oneravit, & *Pedantismi* perfecti notis in-

E

insignivit; quibus, cum tuum Systema de statibus pag. 181. & 191. & similia, *ἵνα πάνυ*, confero, in *Chabotio* te tuas virtutes praedicare facile perspicio. Mirabar vero post laudes in *Chabotium* congestas, me in indicem postea haec conjecta verba legere, *Bentleji notae in Horatium laudantur*; neque assequi cogitatione poteram, post tam immodicas in pessimum omnium & maxime puerilem commentatorem laudes congestas, aliquid *Bentleja* (qui nescio an inter tot Horatianos interpretes *Chabotium* nominare quidem dignatus sit) fuisse relictum. Sed fucum iterum, ut saepe, lectori videbam factum, cum locum ipsum in indice notatum respicerem: in meis enim, non tuis, notis laudari *Bentleji* notas animadvertebam, quod quo consilio semel tantum factum sit, non exputo, cum pluribus in locis, meritissimas eruditorum Britanniae principis laudes praedicaverim.

Utinam satisfactum jam Tibi credere, si aequi & juris ulla te tenet reverentia, venerande Theologe, liceret, & expiata esse quinque illa insignia peccata, & vitia, quibus deformatam editionem meam traduxisti, mihi persuasum esse posset! Utinam apud Regem quoque tuum potentissimum, & ejus Praeceptorem & Administrum, (quibus vel nomine solo innotescere, in maxima felicitatis parte plurimi ponerent) obscuri apud Batavos Professoris studia & existimationem a te, & Paedagogis paucis deformata, & magno dedecore infamata, deinde ab omni livoris & contemtionis eruditorum, qui in Gallia florent, suspicione purgata sperare fas esset! Sed cum summum Regem, ejusque in gravissimis rebus adjutorem, ad has nugas Scholasticas & Paedagogica convicia vix oculos, nedum animos, adjecturos facillime credam, vellem equidem hominum facetorum & dicacium (quorum Lutetiae largus est proventus) ridicula audivisse dicta, cum primum Fabius tuus in lucem exiret. Quid de dedicatione tam humili & abjecta, sermonis vero vix Latini, certe plebeji, nota insigni judicarent, rescíscere & intelligere gestirem. quid denique de Epistola illa Paedagogica, (antea typis jam expressa, & *Falconneto* olim inscripta, nunc vero paucis versibus incongruis & ex Fabio tuo compilatis, sed quae cum reliqua mei insectatione non cohaerentes risum excitant legenti, & deinde tribus quatuorve versibus, aeque ineptis & incongruis tralatitio & vulgari verborum honore abruptis satis praecisa) inter se urbani homines jactassent. Quam vellem discere, an hiantem Paedagogum utrique Maecenates tui, & Academiae Francicae socius, & alter Archiater ille regius, *Falconneti*, eluserint; an denique ab Illustrissimo *Episcopo Foro-Juliensi*, ignorante forte tam contumeliosa levitate praefationem patronum mutasse, spes tibi facta sit, unico seculi nostri Grammatico & Rhetori, amplioris fortunae, ut cum Juvenale possis exclamare brevi,

Si fortuna velit, fies de Rhetore praesul.

Videmus enim, & in aulis praecipue, ridiculos saepe jocantis fortunae lusus & eventus. Sed stulti foret & rerum imprudentis certum indicium, suspicari Regem, aut Praesulem, (nunc raro consortio uno in libro, sed illum dedicationis, hunc praefationis honore sociatos) umquam tam ineptum & regalibus, si ullus alius, studiis indecorum & incongruum laborem excussisse, aut legisse, auctorique impudenter mendicanti, majus operae pretium persolvisse. Ingentes

po-

potius purpuratorum & aulicorum cachinnos fuisse credibile est, cum severo & Paedagogico vultu Rhetorem tantae molis volumen, non sine sudore & gemitu portare per aulam viderent, & fatigatum pondere tandem vel admissum, vel alicui ex ministris tradere codicem jussum. Tum equidem illud os tuum exercitatum videre nimium vellem, qui esset status, librum insani ponderis tenere te Licentiatum tantum. Sed gravissimi ante omnia, si videre tibi eum contigerit, Praesulis, qui & doctissimus semper habitus & de nostris quoque studiis optime judicare posse fertur, vultus observare magni emissem. Qui an dignatus fuerit praefationem perlegere, tam inelegantem & plenam ruris & inficetiarum, vehementer dubito; sed qui forte post pauca, quae eum vix tralatitio honore compellari ostendunt, verba, cum in Scholasticam illam & paedagogicam de nugis Grammaticis & Rhetoricis disceptationem delapsum se subito videret, librum abjecerit & puero cuidam nobili, sibi aut regi apparenti, donaverit. Certe licet nihil gloriosius studiis humanitatis, quam ea Principibus viris & Regibus commendari, accidere possit, hoc tamen facinore, in tanta & communi omnium artium contemtione, nihil aptius infamandis optimarum etiam disciplinarum cultoribus facere te potuisse existimo, quam, si rixas tam plebejas & jurgia, quae vix sellularios decent, inter doctos agitari summis viris innotescat. Sed ego Te, Capperonneri, Urbanis Lutetiae irrisoribus, & aulicis morionibus ludendum & deridendum relinquo, & contentus eruditionis & ingenii, quam tu maligno dente arrosisti, mediocritate, meo me pede metiri, nec ultra summos viros me efferre debere, memor manebo. Huic quoque, jam longae nimis, epistolae modum ponere decreveram, nisi mereri virtutem & eruditionem tuam censerem, ut majori in lumine collocetur, & qui jus tibi sumsisti vitia quinque, quibus deformata est editio mea, producendi, idem mihi jus esse non tantum mihi persuaderem, sed necessitatem impositam *innumerum numerum* vitiorum, quae vel ignorantia, vel negligentia, vel obloquendi prurigine, aut calumniandi rabie irrepere passus es in tuam editionem, *innumera* etiam *furta* & *plagia*, *fraudes* & *facinora* parum honesto viro, nedum Theologo Licentiato decora, non quidem, ut tu jactas tam nitido & accurato ordine & methodo, sed majori veritate & fide, enumerandi & illustrandi: Ex his enim patebit, me recte semper de tui similium *Gallulorum* eruditione judicasse, & simul honorem & cultum, quo aureas in Francia prisci aevi reliquias prosequar, omnibus vere doctis detulisse, & superstites adhuc apud vos interioribus literis eruditos venerari & suspicere.

CAP. VI.

Calumniae & mala Fides Capperonnerii.

QUia cum Theologo mihi rem esse video, quod hominum genus saepe risum literato orbi praebet, ubi literas nostras tractant, quia a pueritia neglectis saepe bonarum artium studiis, sed ad alia festinantes contulerunt, & ideo

cum ex humaniori etiam disciplina aliquam nomini suo famam quaerunt, aliena rapere & invadere solent, incipiam ab eo crimine, quod maxime personam, quam geris, decere videtur. Et cum graviores jam calumnias & falsas criminationes, quibus me immerentem premis, & invisum popularibus tuis nomen facere studes, graviter satis repulisse videri possim, nunc ad peculiares magis & literarias quasdam cavillationes descendam, & quam falsis criminibus conatus meos in Quinctilianum, & notas traducere tentes, simulque animum mendacem & malevolum, & accusatoriam mentem, omnibus aperiam, ut facile unde illa acerbitas in me, tibi ignotum, defluxerit, existimare lector possit. Unicum tibi in ipso capitis limine in memoriam revocare liceat, gravissime Theologe, *Pudendum*, nimirum, illum *in Quinctiliano, qui aliquando mentiri fas esse putaverit, naevum*, quem tu in oratore, viro bono, minime tolerandum, & D. Paulli (quasi ille de oratoria arte cogitans, vetuisset mala esse admittenda, ut eveniant bona) & Augustini auctoritate, ex communi concionantium formula pag. 130. n. 81. evicisti. Sed forte, ut apud vos saepe legibus solvuntur gratiosi, & religione omni liberantur, qui contra communes hostes in aciem procedunt, Tu quoque, qui in me, publico Gallulorum & Paedagogorum odio devotum caput, copias educis, a conscientiae tuae (ut vocatis) directore veniam has a Paullo & Augustino latas leges violandi, accepisti. Sed ad rem ipsam aggrediamur.

Exprobras passim mihi, pag. 625. n. 129. 643. n. 501. 647. n. 12. & plurimis aliis locis, quae coacervare nihil attinet, me *κατὰ πόδα* solere vitiosam Leidensem editionem, ejusque mendas fere semper exhibere. Quae calumnia facillime refutari posset nuda & simplice enumeratione locorum, in quibus & mea a Leidensi discrepat, etiam ubi nihil monui, & notarum designatione, in quibus disertim profiteor me alias, & praesertim longe emendatiorem Obrechtianam editionem expressisse. Sed quia tam molesta series taedium faceret Lectori, & mihi novum & ingentem laborem totam editionem meam cum Leidensi conferendi imponeret, potius illustria quaedam exempla producam, ex quibus patebit & me etiam, te laudatore & approbatore, saepe deseruisse Leidensem, deinde e contrario te saepe inconsiderate eam secutum esse.

Pag. 672. n. 18. me laudas, quod relicta Leidensis editionis lectione, *decurrentis*, praetulerim *decurrentes*, ut & *Rollinus* censuerat: Pag. 702. n. 204 recessi a Leidensi, quae exhibebat, *quae cantat ipsa*, & lego, *quae cantant ipsi*, quam tu, meum judicium secutus, recepisti. Pag. 712. n. 524. auctoribus MSS. codicibus recedo a vulgata Leidensi & depravata, & tu ipse, invitus credo, cogeris confirmare meam emendationem, *laevam* substituentis *τῷ laenam*. Pag. 725. n. 87. me deserentem Leidensis vitiosam lectionem *κατὰ πόδα* sequeris, sed sequenti nota, ne elabi carpendi mei ullam occasionem sineres, quasi grande facinus, notas me, secutum codices scriptos & editos, edidisse *vir civilis idem*, cum Vascosanus & Stephanus ediderint *vir idem civilis*. Σοφῶς ϰ̀ καλῶς: in eo enim vertuntur fortunae Fabii, ut unica vocula transposita, notulam ineptam Theologus concinnare dignaretur. Eadem libidine calumniandi ridiculum te praebes pag. 257. n. 52. ubi post meam notam, qua Leidensem lectionem, *sic moribus compositus*, ut vix Latinam rejeceram, & *si moribus incompo-*

situs

ſitus reduxeram, tu adducis inutilem, & quam ipſe non ſequeris, Stephani lectionem, qua rejecta, in tuam editionem recipis meam, & ita curam meam laudare cogeris: pag. 387. n. 312. arguis me, quaſi ad facetum & urbanum dicendi genus minus animum appellens, *τὸ dixi* in joco hoc Junii Baſſii; *non mehercule hoc umquam DIXI, ſed DIXI emere te ſolere*, geminatum reliquerim. Cujus lectionis ſi tu auctor extitiſſes, ſine dubio figuras tuas, quae in his geminationibus variae oſtendi a Rhetoribus ſolent, magno verborum ambitu produxiſſes, & ſi meminiſſes, ex ipſo Fabio lib. IX. c. 3. illud Ciceronis pro Ligario cap. 6. ut geminum laudaſſes. *Principum dignitas erat pene PAR, non PAR fortaſſe eorum qui ſequebantur*, & de ἐπανόδῳ multa & inutilia verba conſumſiſſes. Immo ſi familiaris tibi Ciceronis urbanitas fuiſſet, ex ejus Bruto c. ult. lectoribus oſtendiſſes *nihil DICO amplius, tantum DICO*, & ex oratione pro Sextio cap 3. *ADEMIT ſoceri nomen, caritatem non ADEMIT*, & ad eum locum alia exempla tibi *Abramus* ſuppeditaſſet, quorum etiam copia mihi ad manum eſt, ſed haec ſufficere puto.

Nec contentus leviter me carpere, ubi ſequor Leidenſes editores, etiam ſaepe vice verſa acriter me objurgas, quod deſeruerim eos, & praetulerim Cod. Almel. & Obrechti auctoritatem. Quae haec levitas & inconſtantia? Pag. 658. n. 12. uteris, ad me confutandum, auctoritate damnatae toties & infamatae a te Editionis Leidenſis, & pag. 661. n. 75. me iterum Leidenſis ineptam & ridiculam lectionem deſerentem, ſine nota & ſtultae Stephani aliorumque lectionis commemoratione dimittere non potes, licet omnibus his inutilibus adductis, ipſe tamen etiam me ſequaris & laudes. Sed pedem figendum cenſeo, & faſtidii metu, plura ejus notae, quae ſuperſunt, & tibi cerebrum perturbatum fuiſſe, dum haec ſcriberes, oſtendunt, referre deſiſto, cum graviora reſtent excutienda calumniatoriae accuſationis capita.

Pag. 449. n. 29. me perperam adduxiſſe locum Ciceronis ex lib. I. de Orat. 39. clamitas, & Ciceronem *de judicio Curiano* agere lib. II. n. 140. adfirmas. At, o bone, utere modo oculis, & ſi me non recte & vere ad teſtimonium Ciceronem citaſſe, & eo aeque loco atque a te adducto de judicio Curiano illum agere deprehendas, quamvis mihi mulctam irrogato. An vero utrumque locum adducere debuerim, aut aptiorem ex duobus eligere, lectoris arbitrium eſto.

Pag. 624. n. 93. ubi me perperam *Meſſalam* pro *Sulpicio* ſcripſiſſe, tibi jam antea confeſſus fui & etiamnum confiteor, non ſatis tibi viſum fuit aberrationi meae inſultaſſe, cum facile perſpicere potuiſſes cauſſam erroris; quia enim lectorem remiſeram ad lib. IX. cap. 2. nec tu mentem meam capiebas, aut calumniandi libidine diſſimulabas, ut iterum falſae citationis me reum faceres, addis me debuiſſe ad lib. IV. 2. remittere. Immo vero eo minime relegabam lectorem, nec de ipſa *Aufidiae* cauſſa, quam ad lib. IV. 2. recte expoſueram, te ipſo teſte, cogitabam, ſed de uſu *τῦ alter*, ſi bis ponatur, & de eo egeram lib. IX. cap. 2. idque me in errorem deduxit. Tu igitur me errantem immiſericorditer vexans, ipſe in falſi criminationem & calumniam delaberis, cujus tibi nunc gratiam facio, rogans ut confitentem clementius poſthac, memor imbecillitatis humanae, tractare velis. Nolo etiam in hunc falſarum accuſatio-

num jam censum omnes referre notas tuas, quibus mihi errores a *Turnebo*, *Pareo* & aliis admissos, attribuis, quia jam supra quaedam earum specimina dedi, & saepius eamdem calumniam refutandi recurret posthac occasio. Insignius tamen unum & alterum producam documentum.

Pag. 527. n. 286. *Parei* errorem, *Sigonio* tribuentis, quod erat *Robortelli*, me non emendasse, & *Mureti* verba ex lib. XIX. var. lect. 2. perperam adduxisse criminaris. Priorem culpam non deprecor, quia sponte admisi, meum non putans, ut centies dixi, aliorum semper errores emendare, sed *Mureti* locum recte & ordine me adduxisse, inter eos, qui *Caecilium* praeferunt *Caelio*, ostendent notae meae ad lib. IX. cap. 3. & potiori jure te pag. 536. n. 60. scrinia *Mureti* compilasse arguere possem, si de furtis & plagiis tuis postea non amplius agere decrevissem. Quo etiam loco, & deinde eadem pag. n. 71. fere eadem ad nauseam repetis de *Alexandro Numenio*, ut & pag. 573. n. 165. & saepe alibi, quae *Turnebus* aeque animadvertere potuisset, si codicis Regii evolvendi ipsi fuisset copia.

Nescio vero an puerilem accusationem huc referre audeam, metu ne me in his minutis haerentem eodem, quo te, *Pedantismi* crimine involvam, qua vel priores commentatores (quibus hoc frequentissime accidit, Typographis nondum eam curam & nitorem, quem nunc, adhibentibus) vel correctores, vel me etiam premis. Quod scilicet non semper diverso caracterum genere, quem *cursivum* vocas, distinxerim adducta aliorum loca a meis, ut pag. 191. n. 18. 412. n. 135. & alibi; sed tantumne tibi a rebus seriis, ô diligentissime alienorum operum vexator, est otii, ut his quisquiliis etiam notas tuas, satis jam, immo nimium, talibus oneratas, multiplicare gloriae ducas: sed si in his parvis & exiguis nugis tibi placeas, cur non pag. 446. n. 11. ipsa Fabii verba in *Pithoei* nota, non alia forma edi curavisti? Cur pag. 447. n. 37. Pomponii JCti definitionem stipulationis, inutilem & ex Lexicis juris translatam, & jam pag. 226. n. 25. adductam, non diverso charactere exprimi jussisti? Placeas tibi & applaudas obscurae huic industriae tuae, solertissime venator alienorum vitiorum, Capperonneri, & glorieris hujus tam insignis negligentiae te pluribus locis Burmannum reum peregisse, pag. 659. n. 14. nos hac palma tibi cedimus, & omnibus sive meis, sive typographi, sive correctorum lapsibus, semel & in perpetuum veniam ut pro clementia tua dare velis, supplices petimus & oramus. Ne modo mihi aliorum errores adscribas, & quidquid *Regius*, *Mosellanus*, *Pareus*, &c. aut qui eorum editiones dederunt, typothetae commiserunt, in meas rationes referre velis.

Pag. 456. n. 34. me probare sententiam *Regii* temere sane & confidenter adfirmas: sed unde, quaeso, hoc collegisti, cum ejus notae nihil ex mea penu subjecerim? Quia scilicet τὸ *inde* in mea editione, ut in prioribus, alio caractere apparet. Qua criminatione si uti liceat viro honesto, facile probabo, te omnibus, quae ego correxi & mutavi, & ad quae tu siles, nec oblatras, assentire, & ipsos meos errores calculo tuo approbare. Quos cum ego aliquot agnoscam, etiam qui te effugerunt, efficiam simul, ubicumque vel adductas a me vel aliis controversas, vel etiam falsas editionum vel MS. lectiones, te sequi.

qui. Sic pag. 574. n. 72. ubi resecuisti varias quasdam a me productas lectiones, quae tamen ad vexata loca necessariae mihi videntur, sequeris vulgatam, pro *facetum Catonis genus*, *carminis genus* exhibentem. Quare te, licet ego dubitaverim & ulcus latere monuerim, obviam & paratam lectionem sine ullo judicio arripuisse contendere jure possum. Atqui Horatius non *facetum carminis genus*, quasi omne Epos id sua natura esset, Virgilio tribuit, sed *molle atque facetum Epos* Camaenas ipsi dedisse dicit; id est, ut ego arbitror, Virgilium mollius & facetius antiquioribus, ut Vario, qui fortius, & ipso Ennio, qui durius scribebat, epos protulisse, & in grandi & sublimi illo carminis genere, quod vix molle & facetum fieri posse videbatur, facetiam illam & mollem elegantiam posse adhiberi, ostendisse. Vides ergo ineptam esse, quam tu sequeris, lectionem *carminis genus*.

Pag. 523. n. 212. malae fidei reum me agis in adducendis *Camerarii* verbis. Sed Lectorum omnium fidem advoco, an brevitati studenti, & molem libri excrescentis reformidanti, non licuerit in pauca contrahere, & tribus verbis enuntiare *Camerarii* sententiam, quam tu, ut notas inutili verborum ambage amplificares, plenam producis? cum ipse de loco suspecto nihil pronuntiem, sed Camerarius quid senserit, fideliter enarrem: tuum ergo erat probare, me aliquid praeter Camerarii mentem ipsi adfinxisse, & ita me falsi damnare. quod cum nequeas, vide quam puerile sit, in compendium longioris loci verba contracta exagitare.

Pag. 245. n. 504. Tu, Philandri nota integra ejecta, me culpas, quod ediderim, *cum C. Considio*. Cum ipse vitiosissimam, & ad Ciceronem a commentatoribus ex auctoritate Codicum confossam & damnatam lectionem, *cum proconsule C. Considio* reducas, temere & confidenter, sine ulla auctoritate aut ratione. Sed, ô nasutule censor, qui omnia, quae ego citavi loca, indagas & rimaris, ut reprehensioni & obtrectationi tuae color acquiratur, cur tam securus Lexicis, quae unicum tibi extra Rhetorica elementa sunt refugium, confidis, & auctorum verba, quae producis ex illis, non ipsa respicere dignaris? Certe si pag. 652. n. 16. Varronis locum, non ex vulgatis lexicis, sed ex Scaligeri editione, vel apud Nonium quaesivisses, non ita exhibuisses, *spissius nascimur quam morimur*, quae stultam faciunt sententiam: nam quotquot nascuntur etiam mori debent, cum, acutissima sit, si ut debet, legamus, *nascimur spissius, quam emorimur*. Agitur enim de gravi & mortifera pestilentia, quae brevi temporis puncto, ut sequentia verba docent, ingentes cadaverum acervos facit, & ita cum *spisse*, id est tarde nascamur, & non aliquot millia hominum simul uno momento concipi, utero materno ali & in lucem edi soleant, sed perfecti hominis natalis, per has temporis moras, longius produci soleat, pestilentia, quae subito & uno momento multos rapit, probat, nos *spissius nasci, quam emori*. Nescivisti, ô Rhetor insignis, *emori* saepe de subita & repentina morte, ut *mori* de lenta & naturali sumi. Disce, quaeso, inepte Aristarche, hoc tantum unico exemplo (nam plura licet producere) cautiorem esse alienae negligentiae exactorem, nec qui tibi optime conscius es, quam multa ab aliis sis mutuatus, & quoties Lexicorum & Thesaurorum subsidio innitens alienae fidei con-

consideris, mihi posthac, qui hac parte satis mihi cavere soleo, nec ulla temere aliorum loca produco, quae non in ipsis auctoribus respexerim, hoc nomine falsi crimen intentare. Nec, quia nunc non plura malitiae & calumniatoriae tuae mentis indicia produco, deesse ampliora mihi crede, sed fastidium & satietatem lectorum evitans ad *Plagia* potius & *Furta* tua transeo, inter quae & quae porro adferam infinita ex notis tuis exempla, multa quoque occurrent malignitatis & calumniarum documenta.

CAP. VII.

De Furtis & Plagiis Capperonnerii.

A Calumniis & criminationibus falsis & malitiosis, quae ex singulis fere paginis adduci potuissent, ad *furta* & *plagia* tua transgredior, quae saepe aperte & sine ulla dissimulatione, aliquando etiam astute & callide, ut tibi videtur, committis, & ideo illa non facile a lectore, praesertim non satis attento, deprehendi posse sperasti. Nullus vero tam hebes & parum perspicax reperiri poterit, quin tuas notas relegens millies eadem repeti & paucis mutatis verbis iterari, quae in antecedentibus vel meis, vel aliorum interpretum notis jam sunt monita, animadvertet. *Innumerus* quoque notarum *numerus* adduci posset, qui nihil nisi Graeci alicujus Auctoris, ab alio jam adducti, versionem Latinam, vel si Latina adducta fuerint, ipsa auctoris verba Graeca contineant. Sed horum tibi adhuc maximam partem gratiam facio, cum illa potius in inutilium & Minellianarum notarum classem referri mereantur. Sed animadvertenda est in primis, occulta & fallax, sed indoctis Paedagogis usitatissima intercipiendi alienos labores sollertia, qua Tu uteris, & omnia, quae vel ego, vel alius certo quodam loco in notis adduximus, silentio comprobare, nihilque de tuo adjicere, sed longe inde remoto loco eadem, quasi ex tua penu depromta, sine ullo pudore repetere non dubitas.

Pag. 128. n. 27. *Circa Tisiam & Coraca* interpretaris, *circa tempora*, *quibus illi vixerunt*. Ego simpliciter ibi rejicio Lectores ad cap. IV. ejusdem libri II. ubi pag. 147. meae editionis & *Regius* ita explicuerat, & ego exemplis illustraveram. Quid Tu, nigro Corvo atrior Theologe, ejicis ex tua editione brevem illam notam meam, qua Lectorem monueram, me, lib. II. cap. 4. ita explicuisse, & Tu nova nota, non ad voculam *circa* ut oportuerat, sed ad *Tisiam* relata, eam tibi vindicas interpretationem; nisi quod ex quodam Lexico addas, errare auctorem illum, qui graecismum hîc statuens, τὰ περὶ Τισίαν pro *ipso Tisia* capit. Quod & *Regius* notaverat, & in omnibus Lexicis est obvium, & in ipso Stephani Thesauro occurrit, qui tibi promptus semper est minister.

Pag. 256. n. 40. *Gravari* explicas *moleste ferre*, & hoc significatu accusativum regere ambitiose doces. Atqui hoc ad lib. I. cap. I. pag. 16. Edit. meae jam docueram, & exemplis claris & satis idoneis confirmaveram, quae tu omnia partim ex mea nota, partim ex viris doctis,

quos

quos laudaveram, transtulisti hunc in locum, nemine nominato; non alio fine, nisi ut & philologicas de Latinarum vocum rariori usu notas te scribere posse, & ultra Rhetoricae & Grammaticae Elementa sapere ostenderes.

Pag. 368. n. 8. *Dicta* explicas, *acute dicta & salsa*, Gallice *bons mots*. Quamvis nihil haec reconditae doctrinae, & a vulgi cognitione remoti nota lectores doceat, & ego ideo tantum ad *Gebhardum* lectorem rejeceram, qui pluribus de hac voce egerat; locum tamen Ciceronis, quem tu, ut ipse produxisse primus videreris, non designato capite adfers, ex mea nota ad lib. v. cap. 11. pag. 444. edit. m. suffuratus es, & deinde pag. 372. n. 54. inepta iterum de *dictis* nota chartam commaculas, & insignem in manifesto furto confidentiam prae te fers.

Pag. 393. n. 408. cum desperatum Fabii locum ope & ex vestigiis Codicis Franciani me sanasse doleres & invideres, tu quasi illo codice, quem numquam vidisti, primus & solus usus fuisses, & inde vitium deprendisses, mei omni mentione omissa, nec meam conjecturam laudans aut approbans, lectionem te amplecti ais, *quam codex Francianus tibi offerebat*, rationem addens; quod ejus vestigia exstent in aliis codicibus (sed & hos ego laudaveram) & congruere Horatianae narrationi, quo & ego argumento meam conjecturam firmaveram. Sed, cum ego non sustinuissem tam probabilem, & pene certam conjecturam, in textum recipere, tu hominis, tibi toties damnati & tot conviciis proscissi, & quem libenter omni gloria fraudatum velles, conjecturam, quasi a te excogitatam recipis, ut qui postea editiones conferrent, persuadere doctis viris possent, primum hanc elegantem conjecturam conspici in *Capperonnerii* editione, qui in notis suis dixerat, *lectionem quam Francii codex offerebat* (scilicet facilem & quam tu, Thraso, melius invenisses, cum tamen illi similem in tota tua editione monstrare nequeas) *eo libentius amplexi sumus, quod ipsius vestigia in aliis clare codicibus satis appareant, praeterquam quod Horatianae narrationi magis congruat.* Quae invidentiae & malignitatis plena est adnotatio, cum, si bona fide voluisses agere, codices a me inspectos hoc suadere, & mihi simpliciter assentire, vel refutare, si potuisses, debuisses.

Pag. 101. n. 52. ad lib. 11. cap. 5. in fine, expulisti iterum notam meam, quam tribus verbis modo, ne morarer lectores, in chartas conjeceram post varias lectiones ex MSS. & editis memoratas hoc modo, *Idem repetit noster lib.* x. *cap.* 1. Scilicet de *Epistola* illa *Livii* ad filium. Tu vero Turnebi antecedenti notae furtum tuum impudenter adnectis, a cujus nota meam secreveram, & a sequenti, quae tantum varias lectiones meas continet, resecas brevem meam notam, ne furtum tuum patefieret. Jure ergo tuo, sanctissime miles & Ecclesiastice pirata, mea ubique involans, stricto linguae tuae impurissimae ferro, exclamare poteris, *haec mea sunt, veteres migrate coloni.* Nec hoc in me tantum facinus admittis, ut ex loco, quem jure cepi, me deturbes, sed ita & *Gibsonis* notam totam resecuisti, non quia inutilem credebas, sed quia tibi vindicare volebas. Ille enim ad lib. 1. c. 5. pag. 52. Ed. m. ad illa verba, *Unum in gente*, notaverat, *omittit* in *Edit. Leid. & fateor quidem sine vocula ista integrum esse Fabii sensum; sed, &c.* Quid Tu pag. 35. n. 38. *Praepositio* in *deest in Edit. Steph. Lugdun. &c. & abesse posset sine ullo sensus dispendio.* CAPPER.

An non hoc manifestum est furtum? An ovum ovo similius? Sed ad subductas mihi notas potius redeamus.

Pag. 479. n. 10. mones Fabium saepe *demum* uti pro *solum*. Sed cur non addis te mihi sinistra hoc manu surripuisse, & me jam hoc ad lib. 11. cap. 15. monuisse, unde tu didicisti, & nunc promis, ut videaris non modo grammatice te scire, sed & Latine loqui.

Pag. 842. Ed. m. & 596. n. 182. tuae, de loco Ciceronis pro Archia cap. 8. *Saxa* &c. insigni sed intolerabili fraude, quam centies, ut fucum lectoribus facias, adhibes, nulla mei vel mentione facta, aut sub nomine meo nota adposita, sed mea verba tuis immiscens, duplicem ex meo indicio notam instruis, hanc & seq. 186. Sed ut omnia a te profecta videri possent, & novae notae auctor habearis, τὸ *etsi* resecare te ais, quod Regius intruserat. Cum tamen oporteret te simul docuisse orationem, sequente τῷ *tamen*, cohaerere, quod ostendi quidem poterat, sed ad talia paratus non eras Rhetorices tantum magister, nec ut Regio hunc scrupulum moventi aliquid responderes, inveniebas.

Hanc vero inopiam eruditionis variae & elegantis nusquam clariori in luce ponis, quam pag. 401. Ed. m. & 285. n. 103. tuae, ubi de *Helope* pisce, cum tres interpretes notassent quaedam, ego vero nihil; ea sufficere credens, sed remiseram lectores, qui plura vellent scire, ad *Scipionis Gentilis* censuram in hunc locum: Tu tamen, quasi neminem extiturum crederes, qui editionem utramque excuteret, sed multos qui forte, ut Aulici & Galluli illi assentatores & loquaces solent, numerarent modo notarum tuarum numerum & modum, & ex mole libri de vasta & immensa eruditione auctoris judicium ferrent, addis meae brevissimae notae, *Lege sis etiam Ciceronem de Fato apud Macrobium lib.* III. *cap.* 16. Quem Macrobii locum cum respicerem, & nihil congruum aut simile ibi offenderem, & Ciceronis illa verba ex libro de Fato proferri a Macrobio lib. II. cap. 18. scirem, mirari coepi, unde in hanc fraudem incidisses. Quare consulens auctores, quos *Pareus* hîc adduxerat, video inter alios *Pithoei* collectanea ad Petronium laudari, recurro ergo ad editiones istius scriptoris, & summo cum stupore reperio in quibusdam inemendatis Petronii editionibus, ut in Lugdun. 1618. p. 400. Francof. 1621. p. 171. in Pithoei collectaneis ad verba Petronii *Siculo Scarus aequore mersus*, citari hunc Quinctiliani locum ex lib. v. cap. 10. & praeterea *Macrob. lib.* . . . *cap.* 16. relicto spatio, ubi liber deberet exprimi. Consulo ergo meam Petronii editionem, ubi in *Pithoei* verbis ad Cap. 119. deprehendi legi *Macrob. lib.* II. *cap.* 12. quam tu quoque, nisi laboris compendia plagiario placuissent, respicere debuisses: facile enim potuisses ex *Parei* nota deprehendere, me citationem Pithoeanam correxisse, & hic additum Petron. *cap.* 119. a me esse profectum: nulla enim ante meam editionem hanc capitum distinctionem exhibet. Quare patet te Macrobii locum ex *Pithoei* collectaneis, antiquae & vitiosae editioni insertis, suffuratum, & quia meam neglexisti inspicere, turpiter te dedisse Quo tam ridiculo lapsu pene inducor, ut tibi posthac obsequar, & aliorum notas corrigam, quia vos, Lucumones literarii, aliter in turpes & pueris ridendos errores inciditis, quibus non vacat omnia ab aliis citata excutere, & priorum collectanea, vestra quasi propria & unica sint hor-

horrea, ex quibus tamen confidenter loca veterum scriptorum adducitis, quasi vestro marte reperta.

Alterum simile & par huic facinori plagium deprehendi feliciter: nam ut alter Cacus tenebricosis antris furta tegis, pag. nimirum 442. Ed. m. & tuae 311. n. 103. ubi agitur de proverbio *bos clitellas*, de quo ego breviter iterum lectorem, si quid scire vellet, ad Ciceron. lib. v. ad Att. Ep. 15. & *Scheffer*. de Re vehic. lib. II. cap. 2. ablegaveram. Tu, ut & symbolam conferres, addis *vide Amm. Marcel. lib.* XVI. quae ut vidi, statim furti suspicio incidit, quia caput addere neglexeras, quod certissimum mihi in tuis scriptis est indicium, te ipsos auctores non inspexisse: omittis etiam verba Ammiani, quae alias, quam longa, adducere, ut moles augeatur libri, amas. Ipse praeterea videbam, me post editum a me Fabium, margini quoque meae adscripsisse hunc Ammiani locum, addito capite v. Quare ad Ciceronis Epistolas ad Atticum recurro, quas te cum Graevii notis legisse multa hujus commentarii Fabiani loca fatentur, ibique in notis vidi Ammiani locum sine capitis nota eodem modo, ut a te, citari. Candidius ergo fecisses, si sine appendice furtiva notam meam nudam edidisses, quae ad Ciceronis illum locum, ubi Ammiani locum reperire possent, lectores eundum esse monebat.

Quoniam vero in proverbio illo explicando versamur, age, alterum rusticorum *omni pede* excutiamus, de quo tu ad lib. XII. cap. 9. pag. 743. n. 46. agis. Ego post Pseudo-Turnebi notam haec pauca adjeceram, *pro omni contentione totisque viribus. Vide Turneb. Adverf.* VII. *cap.* 19. Tu vero sub magnifico *CAPPER*. titulo ita exhibes. *pro τῷ omni contentione, totisque viribus. vide Turneb. Adversar. lib.* VII. *cap.* 19. *CAPPER.* ubi nihil mutatum video in impudentissimo plagio, nisi, ut te Graece scire ostenderes, additam ineptam particulam, & millies milliesque in notis tuis ostentatam, τῷ. An hoc merebatur, ut notula mutaret dominum? Si quid egregii & praecipui edere voluisses, ex Graecarum literarum thesauris, ne saltem nihil addidisse notis videreris, producere debuisses aliquid ad illustrandum hoc proverbium: aut si domi non haberes, ab illustri tuo submonitore mutuari, quae ille ad *Bailleti* judicia de Poëtis Latinis t. III. pag. 177. Edit. Amstel. in 4to. ubi Horatiana de Lucilio verba, qui *ducentos versus dictabat stans pede in uno*, excutiuntur, non laudato Turnebo, de hoc Quinctiliani loco produxit. Hic tibi Suidae locum suppeditasset, quem ipsi indicaverunt collectanea Suidae operâ Schotti edita Centur. x. 89 & quem Erasmus jam in proverbio *omni pede standum*, ut & hunc Quinctiliani locum adduxerat. De Horatii vero loco, alio sensu capiendo, nescio an potior sit sententia Barthii, qui lib. XLIII. Adv. 5. non de conatu levi, sed de temporis brevitate capit. Sed haec nunc excutere non vacat, cum sufficiat hîc probasse, te impudentissime, nomine meo ejecto, tuum notae furtivae supposuisse. Praeterea ex Declamat. VI. cap. 14. similem formulam, sed quae aliud quid notare videtur, adducere operae pretium fuisset. *Non reliqui, non abscessi, neque pede, quod ajunt, uno a parente discessi.*

Pag. 461. n. 50. longiorem solito notam contexuisti, qua phrasin obviam *in re praesenti* explicas, non rude, mehercule, aut indocte; sed Furis prodig more,

 re,

re, liberaliter lectori dans aliis surrepta. Ego vero defunctus eram p. 653. Ed. m. hac brevissima admonitione, *vid. ad lib.* VI. *cap.* 2. ubi tu pag. 368. n. 135. nihil adjeceras, ego vero duo tantum Livii loca: sed ad Declam. CCCLXIX (ubi tu solito tibi more lapsum operarum, quo Quinct. lib. VI. Inst. cap. I. pro cap. II. editum est, castigare nunc poteris) remiseram lectores, qui plura vellent, *ad Graevii notas in Cicer.* I. *de Off.* 10. Tu vero, ejecta mea admonitione, quasi novae & inauditae explicationis esses ipse auctor, longa circumlocutione hanc phrasin explanas, & ne nihil egisse videreris, adjicis Horatii notos & decantatos versus ex Art. Poët. 180. qui huc nihil faciunt: non enim ibi de docendo judice, sed de irritandis animis agitur, quo ego opportunius usus sum ad Ovid. Ep. IX. 120. ut brevi videre licebit.

Deprehendi etiam in manifesto furto te apertius pateris pag. 471. 17. ubi *Patavinitatis* Livii facta mentione ego pag. 668. Ed. m. nihil addo, nisi, *Vide ad lib.* I. 5 & illum ad locum nihil quoque adjeceram, nisi quod *Morhofii libellum de Patavinitate Livii* laudaverim. Quid tu? repetita mea notula, sed quam nulla a tua grandiori, & nomine Capperonneriano fulgente, distinctio discernit, multis verbis dissertationem, quam an umquam legeris dubito, *Morhofii* commendas, & stulta iteratione adjicis, *videsis etiam*, *quae supra notata sunt ad illa lib.* I. *cap.* 5. *verba*, &c. bis in eadem nota, quam totam lectores a te profectam esse credere debent, ad eumdem locum remittens, nec periturae chartae parcens.

Pag. 712. Ed. meae ad lib. VIII. cap. 4. locutionem *nescio an*, contra Francii conjecturam, qua ille *nescio an non* substitui voluerat, defendens, moneo lectorem, ut respiceret ad lib. XII. cap. II. pag. meae Ed. 1108. ubi pluribus verbis explico, idem esse quod *fortasse*, & aliorum auctoritate confirmo. Tu vero non solum priore loco pag. tuae Ed. 501. n. 24. meam notulam non discernis a tua, sed quasi tota tua esset haec explicatio, addis, *NESCIO AN*, *esse modestum adfirmandi modum*, *qui τῷ fortasse aequivalet* (electum iterum ex barbaro seculo vocabulum) & ne hoc ignoraret lector, idem repetis p. 85. n. 5. 196. n. 162. 674. n. 66. 743. n. 6. & nescio an saepius, iisdem pene verbis. Sed tamen praeteriisti pag. 757. n. 17. ubi ego de ea locutione etiam egeram, ne furtum scilicet deprehendi posset.

Pag. 443. Ed. m. & 312. n. 123. tuae, cum exhibuisses notam meam, qua fragmentum illud Cassii Severi esse, laudato Charisio & Vossio, notaveram, & addideram alios Grammaticos ex Cassio quaedam fragmenta nobis reliquisse, sed, quia huc non pertinebant, ea producere putidius mihi visum erat. Tu, ne nihil scire te crederent Lectores, adscribis, *vide Diomedem pag.* 487. *Veter. Grammat.* quem Stephani Thesaurus tibi monstraverat. Si operae pretium renovari a te Quinctiliani editionem ostendere voluisses, hîc Criticum te praestare satius fuisset, & ex variis vexati loci lectionibus, veram exsculpere, & ita ingenii & doctrinae tuae praestantiam probare. Sed talia libenter & facile relinquis aliis, tibi in Grammaticorum & Rhetorum elementis explicandis, & putidissime centies eadem repetendis applaudens.

Majori confidentia pag. 334. n. 276. ubi ampliori nota explicueram pag. 476. Edit.

Edit. m. *manus gladiatorum*, Tu sub nominis tui titulo apponis. *Hinc etiam aequis manibus apud Amm. Marcell. lib.* XXIV. *cap.* 4. *ubi vide Valesium.* CAPPER. quae ego in addendis meis jam rogaveram lectores, ut notae meae adjicerent; sed quae tu forte jure tibi vindicabis, quia mea verba duobus voculis *etiam*, & *apud* auxisti. Quae haec impudentia! an omnes Francos tuos fungos & stipites esse putas, quibus tam audaciter & fatue imponis? Certe, quia tua editione meam aditu in Franciam prohiberi posse credidisti, illiberali illo facinore notas meas tuis, sine ullo saepe discrimine caracterum aut signorum in hac re solitorum, immiscendi id intendisse videris, ut multarum adnotationum novus auctor esse credaris, & ita dignum literis & eruditione tua aliquid renovatae editioni praestitisse te jactare possis. Sed astutiorem te homine, ut apparet, parum callido, veteratorem talia furta poscere videntur. Tiro in Plagiariorum arte adhuc videris, fortasse melius in magnificis illis, quae orbi literato denuntias, operibus, tibi furta velandi & tegendi artificium posthac procedet, nec nulla spes est, te Furum literariorum brevi Coryphaeum futurum.

Sed pergamus in hoc Caci antro illustrando, nec longe ab hoc loco digredi nos jubet nota tua eadem pag. 334. n. 282. ubi postquam paucis, ut meus est mos, in rebus & vocibus non obscuris, de *affirmatione*, pro qua multi hic & in aliis Fabii locis *asseverationem* esse substituendam contendunt, egissem. Tu subjicis, *Ex Affirmatione*] *Ex certo affirmandi modo, qui fiat cum quodam animi affectu. Vide cap.* 5. *hujus libri*, explicans clara Fabii verba per multo obscuriora. In universis vero notis ad cap. 5. hujus libri nihil reperire potui, quod ad vocem hanc *affirmationem* attineret. Ego vero remiseram in mea nota lectorem ad lib. v. cap. 12. ubi tu ex Turnebi nota, & loco Fabii, de quo agimus, & altero, quem ex addendis meis arripuisti, lib. XI. cap. 3. exstruis notam furtivam, & quae Turnebus *asseverationi* ibi tribuerat, tu hoc loco, de quo agimus, *affirmationi* tribuis, & tandem eo delabi cogeris, *ut affirmationem & asseverationem voces fere esse synonymas* fatearis. & ne hujus furti tibi gloria eripi posset, eadem pag. 713. n. 543. & alibi repetis. Cui vero bono tot verba perdere, si tandem inutile illud discrimen esse fatearis, & ad reliquorum interpretum sententiam accedere compellaris?

Pag. 352. n. 35. cum notam tuam legerem, mirabar cur totam meam, pag. 502. Ed. m. licet hoc saepius incertas saepe ob caussas facinus admittas, notam ejecisses, qua docueram nihil esse, quod Ascensium hic turbaret, quasi *hic* & *ille*, essent mox transponenda: cum saepe viri docti jam monuissent, haec praenomina vim suam commutare, & *hic* saepe ad remotius, *ille* ad proximum verbum referri, & cum ego in re tralatitia & vulgari lectorem morari nollem, ex infinita turba doctorum, qui hoc ad nauseam usque docuerant, obvium & paratum omnibus; solum *Sanctium* elegeram, qui id in Minerva lib. II. cap. 9. & ad eum *Perizonius*, satis ostenderant. Tu ejectis omnibus meis verbis, & *Ascensii* nulla facta mentione, quasi *Rollinum*, novitium editorem Fabii, refutans, meis armis uteris, & ex una tres quatuorve notas conficiens, de *Sanctii Minerva* taces. Sed pag. 401. n. 90. alia exempla hujus observa-

F 3 tionis

tionis congesta esse ais in *Budaei* commentario & *Sanctii* Minerva. Pag. etiam 100. n. 51. ubi eadem ex praenominum horum positu difficultas movebatur, & ego etiam ad *Sanctii* Minervam ablegaveram lectorem, tu adjicis, *Videat etiam Budaei commentar.* nullo loci aut paginae indicio facta. Certo indicio tibi *Budaeum* ab alio indicatum, qui uno aut altero loco prolato, id Graecis aeque ac Latinis usitatum docuerat pag. 1038. Comment. Graec. Ling. Edit. Stephan. ubi addit, *usus est & varie Quinctilianus.*

Pag. 483. n. 111. tuae, meae vero editionis p. 685. de *Sarraco* agens, non operae pretium ducens multa verba perdere, ablego lectorem ad *Schefferum* de Re vehiculari lib. II. cap. 31. Tu autem, ut videaris plus viro illo doctissimo, & in hoc argumento summa cum laude versato, scire, magno cum fastu subjicis meae notae, *His adde Sisenam*, *& Fortunatianum* &c. quasi horum testimoniis, quae tamen *Schefferus* adduxerat, nemo ante te usus fuisset. Quo furti genere centies uteris, persuasum habens paucos lectores fore, qui adductos in testimonium auctores, & deinde ab iis citatos, respicere solent. Quare impudentius facis pag. 499. n. 42. ubi ex duobus Homeri, a me & aliis jam ante productis locis, & quae ipse in sequenti nota exhibes, quasi tibi propriam notam exstruis.

Sic omni pudore posito pag. 654. n. 61. Turnebi notae subjungis. *Vide Gevartium in Stat. pag. 5. secundae partis*, qui modus citandi Papinianas *Gevartii* Lectiones plane novus, sed tegendo furto a te excogitatus statim animum meum advertit. Nam not. 64. *Almelovenius* sollemni omnibus eruditis more scripserat, *vide Gevart. Lect. Papin. lib.* I. *cap.* 2. ibi enim *Gevartius* vocem *Silvam* explicans, hunc Quinctiliani locum adduxerat. Tu vero, qui ipsam *Gevartii* editionem ignorabas, nec *lectionum Papinianarum* titulo proscripsisse commentarios illos sciens, ex Editione *Crucei*, in quo illo titulo carent, quasi tua industria indagatum locum & aliis indictum producis. Novum sane aliena sibi vindicandi artificium, nec tamen callidi nimis plagiarii, cum debuisses, *Almelovenii* notam abjecisse, ut meam saepe recidis.

Pag. 686. n. 42. aliorum & meis notis haec subjicis. *Legesis etiam Aegidium Menagium ad Diog. Laert. pag.* 85. atque mox seq. nota 44. meam legi passus es, qua ad eumdem *Menagium* lectores remittuntur. Sed ne nihil innovasse videreris, cum ego scripsissem *lib.* II. *cap.* 5. Tu digna Paedagogo & mira accuratione exhibes *pag.* 85. *columm.* 1. quasi ad alium plane locum spectasses.

Pag. 385. n. 277. *Pithoei*, popularis tui & viri eruditissimi notam, quam ego exhibueram pag. 550. Ed. m. abjicis, qua *Fornicem* explicuerat *arcum triumphalem*, Tu vero illi supponis memorabilem & omnibus Minelliis invidendam notam. *Ad Fornicem*] *supple arcus triumphalis*, inepte etiam: nam *Fornix* est ipse *arcus*; eodem ergo jure si Fabius *arcum* dixisset, notare potuisses, *supple fornicis triumphalis*. aut quia *fornicem* praetulit, potuisses scribere; *Fornicem*] *supple fornicis triumphalis*.

Pag. 433. n. 107. mirabar unde tibi innotuisset significatus vocis *sacri* pro templo, quo Lexica deficiuntur, sed te mihi hoc suffuratum esse docebat nota mea pag. 39. edit. meae. quam Tu ipse pag. 25. n. 28. exhibens risum iterum mi-

mihi extorsisti, cum locum ex *Dicty Cret.* a me adductum, ut Poëtae alicujus versum, excudi jusseris. Forte numquan hunc scriptorem fando audiveras, quia nihil ad elementarios Rhetoras instruendos confert.

Insigne plagii exemplum das pag. 295. n. 349. ubi, ut divitias tuas ostendas, tribus ex Ciceronis locis doces *vincere* idem esse, quod *evincere*, *obtinere* &c. Sed omnia illa meo indicio debes. Nam ad lib. VII. cap. 3. pag. 617. Ed. m. & p. 431. tuae, idem jam monueram, & remiseram lectorem ad *Graevii* notas ad Cicer. Paradox. IV. quem locum hîc producis, & ex ejus notis alterum pro Cluentio furaris, nam ex *Graevio* descripsisse patet, quod caput nec ille, nec tu designaveritis. Tertium denique locum ex lib. XI. ad Fam. Ep. 28. ex *Graevii* nota ad lib. III. in Verr. 16. quo ego etiam remiseram lectorem, petiisti, credens te non posse deprehendi, si hoc modo citares, *Matius lib.* XI. *ad Famil. Ep.* 28. puerile certe velamentum, sub quo te latere posse speres. An non & chartae & lectori rectius consuluisses, si ad meam illam notam uno verbo lectores remisisses?

Satisne jam *vici*, Capperonneri, te Plagiarium, & quidem haud sollertem admodum esse, qui non extra fines libri tui, sed in ipsos, quos lectori sagaci exhibes, notarum in Fabium tuum auctores, latrocinium exerces, & eorum expositas omnibus opes expilas. Tectius furaberis, & res tibi in Francia melius succedet, si hic & illic ex talibus posthac Thesauris sive Lexicis aliquid in tuos usus vertes, quibus nos magis in septemtrione, quam vestrates uti solemus. Tu enim *Danti* & politiorum scriptorum Lexicis magis delectari videris, quam crasso illo & intractabili *Fabri* Thesauro, *Buchneri* & *Cellarii* industria locupletato, quem Germanis stupidis & hebetibus relinquis. Profuisse tamen tibi saepe horum sub denso aëre natorum sudores collegi non vanis indiciis.

Pag. 430. n. 58. impudenter mihi visus es, vel Fabri, vel cujuscumque Lexicographi (nam genus illud lixarum musicorum secure semper priores compilat) in tuos usus vertisse, in explicatione vocis *Clarigatio*. Video tibi paratam effugiendi rationem, si fateri velis te potius auxiliares ex *Stephani* Thesauro (cui locupletando cum maxime laboras) conduxisse. Nam & pag. 453. n. 5. probare omnibus facile poteris, te quatuor illa loca, quae ex T. Livio & Suetonio adfers, de notissima praepositionis *super* pro *praeter* significatione, licet pleraque etiam exstent in *Fabri* Thesauro, debere indicio *Stephani*, & inde transtulisse in tuam notam, idque nobilis amici tui *Goralli* ausu & exemplo defendere tibi paratum erit. Sed, ô bone & minime furti manifesti dissimulator, hoc ego, licet ab acumine & sagacitate tua longe absim, statim deprehendi; quia Livii loca non modo sine capitum designatione producis, (quod tamen, si dictatori *Clerico* obtemperare, & morosi & difficilis Grammatici titulum effugere voluisses, factum oportuit) sed antiquato illo modo citandi uteris: *Liv. lib.* 7. *Bell. Pun.* Quod nemo hodie admittit, nisi qui laborem inquirendi fugiens, priorum fidem sequitur, ut tu *Stephani* tui indicio acquiescens, incaute obsoleto illi laudandi modo confidis. Quam non rideret te, si amicitia permitteret, *Moneta* ille tuus, qui nescio quem alicubi Jurisconsultum merito objurgat, quod *Digestum infortiatum* citare ausus erat, & qui graviter sae-

pe

pe *Bailletum* & alios castigat, qui *Morcri* lexico semper fidentes, negligunt ipsos fontes. ut ad *Bailleti* Judic. t. 1. p. 142. non sine stomacho, sed merito monet.

Hunc si monitorem sequi voluisses, non pag. 589. n. 50. *Brissonii*, qui quotiescumque de Juris vocabulis aut formulis agendum est, fidus tibi semper adest adjutor, scrinia secure compilasses, de *venaliciis* ambitiose quaedam producens, & simul contra omnium codicum auctoritatem ex margine Steph. & Vascos. in textum transferens *venalitiarios*. remittis vero lectores mox ad *Patric. ad Cicer. Oration:* sed cur non designas loca, ex quibus totam notam tuam instruxisti. Quia nimirum si ad Fragmenta Ciceronis Orat. pro Cornelio nos ablegasses, statim te manifesti furti reum peragere licuisset. Denique si Plinii locum lib. XXI. 26. quem adducit *Brissonius*, consuluisses, non tam temere *Patricium* secutus fuisses: nam in *Harduini* etiam editione *mangonicis venalibus*, aut in aliorum *mangonibus* legisses, & non servos, sed mercatores servorum ita dici posse didicisses, & parum referre, an *venalitius*, an *venalitiarius* dicatur mango. In Suetonii etiam loco de Rhetor. cap. 1. temere & sine ulla codicis auctoritate *Casaubonum* etiam *venalitiarium* pro *venalitio* emendasse, debuisses scire. Et si adhuc dubitasses, ex inscriptione, quam & *Valesius* produxit, apud Gruter. p. CCCCXI. 1. & alia. p. CXXXVI. 5. & ex notis *Heinsii* & nostris ad Petron. cap. XXIX. certiora te doceri posse animadvertisses: & dubitasse etiam nos, an *venalitius servus* recte dici posset, cum extra dubium sit, ita posse *mangonem* vocari. Temere ergo & audacter verba Fabri recepta & sana refingis, nullius codicis auctoritate munitus, & praeterea fraude non toleranda omnes scriptorum & editorum codicum (quorum nullus habet *venalitiarii*,) variationes, a me productas recidisti, praeter Locatel. & Aldi, qui tamen etiam *venalitii* ediderunt.

Pag. 425. n. 172. ex Thesauro *Stephani*, ut corrumpendi locum Fabii haberes auctoritatem; & pro *uno actu*, ederes *uno actu rei*, locum Plinii adducis, & reliqua ex Thesauro *Fabri* & *Torrentii* notis ad Suet. Aug. 32. Et ut fatuae lectioni colorem obduceres, ineptam explicationem etiam Gallica voce illustras. Sed non cepisti, doctissime Rhetor, Suetonii locum. Non enim *actus rerum* sunt ibi *les audiences*, sed dies ἀγοραῖοι, fasti, quibus jus dicere fas erat Praetori, & litigantibus caussas suas, sive res agere. Ridicule vero venditas, posito etiam asterisco, qui te auctorem indicat, distinctionem, quae nullum vel ineptum sensum facit. Vera & unica lectio & distinctio haec est, *personam non facile posse rei, utique in uno actu, incidere.*

Pag. 662. n. 76. dum quid sit *rescribere* explicas, omnia quae producis, ex Thesauro *Fabri* sunt descripta, quae te nullis aliis, nisi Lexicorum, subsidiis uti, docent. Pag. 669. n. 91. cum ego suspectam mihi *lucrativam operam* monuissem, pag. 958. neque tu etiam in textum recipere ausus fuisses, ut tamen mihi obtrectares, ex Lexico *Brissonii*. tibi advocata JCtorum auctoritate eam defendere conaris. Sed, si vir esses, non ex aevi deterioris auctoribus & JCtis, sed ex Cicerone aut ejus aequalibus probare debueras, tam plebejam vocem ab elegantis aevi scriptoribus fuisse amatam, nec multiplicare ineptas argumentatio-

tiones, quae omnes eo redeunt, ut JCtos ea usos probes, quod nemo negat: sed eorum auctoritate non utimur, quoties de emendatae scriptionis elegantia agitur. Deinde cum ego hujus vocis *lucrativae* usum solorum lexicographorum auctoritate niti, qui corruptum hunc Fabii locum adducunt, dixissem, Tu rogas, quaenam ego lexica legerim? & objicis mihi *Danetum*, quem ego numquam oculis vidi meis, sed quem ex tuo indicio alios compilasse, & vobis Francis Germanorum & aliorum labores pro suis venditasse conjicio. Ego vero potissimum *Fabri* Thesaurum consulere soleo, nec poenitet, nam & ipse *Stephani*, locupletior alias, hac voce caret, quam Tu infarcire Thesauro jam poteris: sed si opus tibi in scribendo eo fuerit, ut potius *lucrosa* utaris, auctor essem.

Pag. 164. n. 113. ubi *Pareus* de voce *essentia*, Graece οὐσία, remittit lectores ad *Mureti* varias lectiones, Senecam & Sidonium: Tu ibi ex Rhetorices magistris quaedam subjungens, quae nec tiro ignorat, *Pareum* ista gloria frui pateris, sed mox n. 155. *essentiae* vocem a Cicerone ipso usurpatam doces ex *Mureti* ejusdem indicio, quo lectorem jam antea remiserat *Pareus*, & accumulas supervacaneam notam inutilem & gravem Senecae & Sidonii locis, ut notae quasi novae nomen CAPPERONNERII subscriptum conspici posset ab illis, qui ipsas notas non excutiunt. Cui vero bono & usui tam insulsa earumdem rerum eadem in pagina repetitio? Sed hoc sollemne tibi, qui pag. 232. n. 170. & seq. cum *Turnebus* explicuisset tres virtutes orationis, Tu ne videaris illum expilare, ridicule anticipas eadem pag. praecedenti 231. n. 160. & seq. Haec sunt sane hominis otio abutentis, & qui lectoribus incautis imponere studet.

Pag. 415. n. 207. operose agis de voce *scholasticus*, & ea profers, quae nemo ignorat paullo doctior, & quae ex Thesauris & Lexicis, & *Wouwerio* ad Petron. cap. VI. quo Lexicorum architecti remittunt, convasasti.

Sed ut & criticum te credant agere posse populares tui Galluli, qui te unicum hodiernae in Francia nondum intermortuae Criticae specimen nobis ostentant, pag. 24. n. 5. adducis locum ex Terentiano Mauro, & versum illum *aggressus labor arduus*, quasi tuo marte rem gerens, corrigis, addens; *Malim*, *aggressis*. Atque id diu ante te natum *Brissaeus* in editione sua pag. 5. expresserat. licet *Barthius* lib. XV. Adv. cap. 2. eam emendationem improbet, & *aggressus* vi patiendi positum contendat, de quo nunc non vacat disquirere; sufficit enim mihi te plagii manifesti reum peregisse. Nam si persuadere velis credulis te illam editionem non vidisse, turpem securitatem confitearis necesse est, cum nemo facile emendationes jactare debeat, antequam editiones varias consuluerit, & praecipue nobiliores, & fere unicas, quae cum notis prodiere, ut haec *Brissaei*, quam in Francia olim proditam in Bibliothecis Parisiensibus, licet apud nos rarior sit, desiderari non putem. Criticae vero tuae sagacitatis, qua omnes hodie, qui commentarios scribunt in scriptores veteres, commendare se student, egregia ubique specimina edis, sed quae omnia congerere prohibet metus fastidii, quod lectoribus suboriri posset. Pauca tamen adducere placet, & hoc simul praemonere, te numquam vel raro, ubi loca audaciter corrigis, rationibus

aut exemplis, conjecturas tuas firmare, quod tamen unice necessarium judico. Dictatores enim aspernantur & gravantur eruditi, qui persuaderi, non cogi volunt.

Lib. II. cap. II. in fine, de desperatissimo loco ego timide sententiam meam prodidi, & probabilem, multis rationibus & locis auctorum adductis, facere tentavi. Tu vero, confidentissime, praemissâ meae tuâ notâ, ut possis videri de eo emendando sine mea admonitione cogitasse, primo *elidere res bonas* explicas Plinii exemplis, a me adductis; deinde addis suspicari te a Fabio scriptum fuisse, *illi edunt*, neque quidquam tam absurdae emendationi firmandae adfers. dic enim bona fide, quid est *res bonas edere?* si enim *res bonas* capias eo sensu, quo ego fere sumi docui, esset *edere exquisitissimos cibos*, quis vero sensus tunc emerget, si ut fieri debet, unum hoc verbum accommodes non modo *rebus bonis*, sed & praecedenti *sententiis?* dic, quaeso, *magnas tamen sententias & res bonas illi edunt*, quid notet? & praeterea nonne vides *τὸ illi* inepte, & praeter Fabii morem hîc inseri? Nec in secunda nota, qua repetis priori dicta, erubescis locum Fabii a me adductum, suffurari, nec tamen quid ad probandam conjecturam ex illo loco possit confici, ostendis. Si vero *edere* pro *proferre*, *loqui*, velis capi, adduc, precor, exemplum similis in omni antiquitate locutionis, ubi *res bonas edere* possit capi, pro magnas sententias & electissima quaeque excerpta ex aliis proferre. Debuisses animadvertere metaphoram, aut quocumque nomine vocare velis, tropum aut figuram esse in illis; *res bonas*, quia addit Fabius (*ita enim gloriari solent*,) quo, ostendit illos a cibis electis transferre hanc locutionem, ad excerpta, & dicta electissima ex magna copia, unde fiat dissoluta & ex diversis congesta oratio, quae non cohaeret: agit enim non de *caussa* tota, sed de *locis*, in quos praecipue intendunt hi inepti, qui non ut barbari & servi, sed ut urbani & ingenui se loqui gloriabantur. Si ergo simul mea suffurari, & deinde a meis discedere velis, pondere & auctoritate debes me refutare, non vero, prolata modo, si non absurda, certe nemini intelligenda, conjectura, silere ad reliqua, quae non capis.

Pagin. 397. Ed. m. & 282. n. 36. tuae, ex scriptis & editis receperam lectionem ideo probabilem, quia corrumpi facilius ab indoctis librariis potuerit, *Enthymema Syllogismo distare*, & ita Horatium & Lucanum locutos docueram. Tu pro imperio ita solos Poëtas loqui adfirmas, & prosaicos fere dicere *distare ab aliquo*. Sola, scilicet, Lexica tua consuluisti. Sed vide, quaeso, Lexici Stephaniani locupletator, Plin. XXIX. cap. 4. de Salamandra, *nihil aconito distans*. Curt. III. I. de urbe Gordio, *pari intervallo Pontico & Cilicio mari distantem*. Tu ergo solis Poëtis hoc loquendi genus familiare jactabis, sola obloquendi mihi libidine ductus, & qui nullam cum scriptoribus veteribus, nisi Rhetoribus & Grammaticis, consuetudinem habere ubique fere prodis. Miratus etiam fui te non hîc ad Graecismos tuos recurrisse, ut bis te fecisse, in simili constructione vocis *diversus* cum dativo, video. pag. 491. n. 247. 527. n. 295. cum Fabio haec constructio sit familiarissima, ut lib. IX. 2. *cui diversum est*, & paulo post, *sermoni sensus diversus*. & lib. III. 6. *huic diversa sententia*, ut ego in variis lectionibus notavi, Tu vero etiam in textum recepisti. Et ita Seneca, Justinus & alii locuti, quare potius

tius temporibus post Augustum hanc locutionem adscriberem, quam Graecismo; sed tu imitaris Scholiastas illos Latinos, qui ubi ignorant rationes & consuetudinem loquendi, eo evadere solent, & ad Graecismos confugere, ut Scholiastae Graeci ad Atticismos suos.

Pag. 573. cum ego pag. 808. Ed. m. in nota praecedenti 150. monuissem *Carthaginienses*, non *Carthaginenses* legi apud Auctorem ad Herennium, nec, quia obvium & ab omnibus, qui orthographica tractaverant, traditum erat, plura addideram, tu plagiarii semper personam egregie sustinens vulgatissimo Prisciani loco, quem omnes adduxerunt, & tu reponere non erubescis lectori docto & fastidienti tam vulgata, magna cum pompa id confirmas. Sed si modo ad *Fabri* Thesaurum (qui *Vossii* & *Gronovii* tibi auctoritates suppeditare potuisset) immo *Stephani* tui rejecisses Lectorem, aut ad *Dausquei* & *Manutii* ortographias, in omnibus illis Prisciani locum reperire potuisses, & videre a te illum non fuisse primo inventum. Praeterea, acerbissime minutissimorum errorum censor, hîc a me moneri te patiaris, inscientiam tuam insignem apparere, quod in Prisciani loco edi curaveris, minori prima litera, *pistor pistoris*, *pistoriensis*, quia ab artifice *pistore*, posse adjectivum *pistoriensis* derivari credebas, quod ego quidem nusquam dictum aut fictum inveni, cum sine dubio Priscianus hîc egerit de vocibus adjectivis ab urbibus & locis derivatis, ut ex reliquis exemplis, quae sunt urbium & inde denominatorum, apparet. Quare *Pistoriae* urbis incolas *Pistorienses* dici indicat, licet non apto exemplo, quia a *Pistoria* potest rectius deduci; sed credebat forte a *Pistore* derivatam *Pistoriam*, quae inde & *ad Pistores* in Itinerario Antonini dicitur, ut *Cluverius* Ital. Antiq. lib. II. cap. 3. observat, & ex Plauto & Sallustio *Pistorienses* incolas dictos docet. haec levia sunt, sed indicia ignorantiae manifestissima in tanto & tam ostentato, tres quatuorve annos ante editum Fabium, toti Europae eloquentiae magistro, qui ob neglectam literam, syllabam, punctum, colon & accentum, voces diverso charactere non distinctas, & similia superbe aliis insultat. Plura ne proferam facit taedium, quod ipse in his sordibus haerens concipio, & quia in sequentibus capitibus multa adhuc furtorum specimina necessario producenda erunt, quae si in unum caput collata fuissent, hoc unum omnia hujus epistolae capita facile magnitudine superare potuisset.

CAP. VIII.

De notis Capperonnerianis, ex reprehensione inepta priorum interpretum natis.

FUrti manifesti, jam paucis ex ingenti copia prolatis exemplis, te convictum esse, si quis superest pudor, fateri cogeris, & modum capiti me fecisse non quod plura in notis tuis non deprehendere potui; sed quod fastidio lectorum occurrere satius credidi, omnes qui post me tam ineptas & pueriles in Fabium

notas inſpicere volent, judicabunt. Nunc immenſum iterum ingredimur iter, in quo terminos aut metas nullas videre aut contingere nobis liceret, ſi omnes ex inepto tuo & paedagogico theſauro Rhetorico & Grammatico depromptas notas recenſere, & ridiculo exponere vellem. Et licet magnificus ille doctrinae tuae praeco *Camuſatus* notas tuas, antequam etiam viderat, *Excellentes* vocaverit nobis, tamen, ſi vacaret, omnes fere ejus generis eſſe, ut ineptiendi laude, ſupra omnes in Uſum Delphini interpretes, *Minellios* & *Junckeros* excellueris, oſtendere in promptu eſſet. Ex univerſis vero, quae ex tua penu prodierunt, paucas eligam, & duobus capitibus, ad duo genera redigere conabor: quorum primum dabit notas illas, quibus gloriam inanem & ſtultam captas ex priorum commentatorum reprehenſione, & ubi coelum & terram clamoribus imples, quaſi de fortunis Fabii & omnium literarum actum eſſet, ubi quid vel in litera, ſyllaba vel accentu peccatum ſit. Denique alteram in claſſem referentur inſigniores quaedam, ſed pueriles & paedagogicae notae, quibus vel Graece adlata Latine vertis, vel Latina Graecis verbis ſine ulla neceſſitate aut utilitate reddis, vel denique verba (aut ut tu loqui amas,) *dictiones*, & *loquendi formulas*, vulgatiſſimos ritus & tralatitia antiquitatis monumenta inutili labore illuſtrare conaris.

Circa primi generis notas obſervare velim Lectorem, tibi magnam ex infamia *Turnebi*, vim notarum, vel potius invectivarum eſſe natam in illas notas, quae ſub viri doctiſſimi nomine circumferuntur, quaſi tu primus omnium deprehendiſſes, illas a *Turnebo* non eſſe profectas. Sed candidi, non dicam, Theologi, ſed etiam Rhetoris fuiſſet, lectores, qui ſola tua editione, plena calumniis & nominis mei & aliorum infamia, utentur, monere, me (ut jam ſupra indicavi,) non plus illis detuliſſe, quam ſagacitas tua & eruditio illis tribuere ſe jactat. Et cum in manu tua eſſet eas omnes rejicere, vel ut inutiles & ineptas reſecare, (ſed ita magnae moli decreviſſet pars) me id impetrare a Typographis noſtris non potuiſſe, qui ubi editiones illas olim cum notis variorum editas renovare volunt, hoc praecipue paciſci ſolent, ut nihil ex prioribus abjiciatur, quod earum adhuc deſiderium poſſit apud emtores excitare. Fruſtra vero nos cum pervicaci, & tantum lucro ſuo intenta gente ſaepe contendere & pugnare norunt illi, qui cum his ingeniis conflictati fuere. Quare ego quoque cum hoc obtinere non potuiſſem, in praefatione me adverſus eos, qui me Turnebianarum notarum nomine calumniari vellent, munivi verbis ſupra p. 26. jam productis. Cur hoc omne diſſimulaſti, nec in praefatione, nec in notis tuis hujus mei de Pſeudo-Turnebi notis judicii certiorem lectorem feciſti? nempe quia titulus obtrectandi, carpendi & arrodendi clara in literis nomina tibi ſurriperetur. Cur vero diſſimulas, me *ſaepe* etiam Turnebianas illas notas caſtigaſſe & reprehendiſſe? Quod ſi non ubique fecerim, ignobilis operae taedium, & brevitatis, cui in notis congerendis maxime ſtudui, cura effecere. Te vero, qui craſſum & ponderoſum volumen extrudere volebas, nullam elabi paſſum fuiſſe objurgandi *Turnebum* & alios interpretes occaſionem omnibus facile patebit; nam ſemper & ubique cenſorem agere pulchrum & magnificum putaſti. Incivile vero & importunum eſt, non modo *Turnebum* ubique vellere & lacerare,

rare, sed quodcumque ille erravit, mihi adscribere, qui nec notas illas primus produxi, & coactus tertia jam editione eas renovare, lectorem de earum pretio monui, meque non magni illas facere professus sum. Sed quia nec otium nec voluntas mihi erat omnia carpendi, nec in indagandis & corrigendis obscurorum hominum erroribus gloriam sitam esse magnam aut utilitatem credebam, multas praeterii, ad quas nullam apposui notam. Nec fatigabo etiam nunc lectores longo catalogo & serie notarum Turnebianarum, quas aut ego correxi, aut tu sola libidine ex aliena infamia inclarescendi arroseris, sed exstantiora quaedam loca producam, unde & protervitas tua & simul ineptiendi consuetudo appareat, & praecipue iniquissima calumnia, qua mihi millies errores *Turnebi* & aliorum interpretum, quos ego reliqui intactos, adscribere non vereris.

Lib. x. cap. 1. pag. 638. tuae editionis *Turnebus* per errorem insignem *Germanicum*, cujus Fabius ibi meminit, de *Germanico Caesare*, *Drusi filio*, capit. Tu n. 413. adjicis inutilissimam hanc notulam. *Cujus error in nota proxime sequenti abunde refelletur.* Quales notas saepe lector apud te offendet, ubi relegabitur non ad remotissima loca, sed ad ea quae sub unum oculorum ictum cadunt, & centies leget, *vide sequentem notam*, *vide praecedentem.* Sed an talia lector monendus erat? Cur non *Colomesii* & meam notam adnectis, aut si versus multiplicari cupiebas, sine supervacanea tua illa admonitione illas statim subjungis? Sed exspectabit sc. lector, eumdem illum *Capperonnerium* in sequenti nota id, quod promittit, abunde praestiturum. Sed ibi *Colomesii* nota producitur, qua Gyraldi sola auctoritate *Domitianum* intelligendum esse docuerat, ego, ut decet humanum commentatorem, tam turpis ignorantiae notam Turnebianae memoriae inuri non patior, & invictis argumentis etiam probo *Domitianum* hîc Germanici nomine designari. Tu vero nihil adjicis, nisi, *videsis etiam Quinctilianeos Dodwelli annales num.* 23. hoc vel puer praestare potuisset. Sed & *Dodwellum* refutare simul debuisses, qui Domitianum de Titi bellis Poëma scripsisse adfirmat, quod falsissimum, & docere, non modo non scripsisse, sed ne potuisse quidem poëma pangere. Nam & hîc Fabium, & ibi Valerium Flaccum turpiter Tyranno adulatos fuisse, docui ad Valer. Flacc. 1. 12. Sed haec superant captum tuum, & quotiescumque de *dictionibus technicis & formulis loquendi* Rhetoricis agendi occasio non est, tu mutus esse soles interpres, nec alias partes, quam suscepisti, praestare potes.

Pagin. 1079. Edit. m. nescio quo casu in media mea nota nomen TURNEB. legitur, hoc sive librarii, sive correctoris sit commissum, tibi novam notam extrudendi dat occasionem, cum simpliciter delere potuisses: & tamen simul vel tua, vel correctoris tui culpa, foedo vitio nota tua maculatur: nam *Turnebi* nomen *delegendum* (credo *delendum*) te curasse, ut magnificum aliquid jactas. Sed cur non, acutissime corrector, pag. 693. n. 31. edit. tuae vidisti te mihi injuriam fecisse, qui loco *Turnebi*, tam infamati & conviciis tot a te proscissi, meum nomen posuisti, & adfixisti notae inutili & supervacaneae? haeccine negligentia an malitia? Cur centies nomine meo deleto, vel non apposito, tuas meis notis ita immiscuisti, ut lector vel mihi tuas ineptias, vel tibi, si quid

quid meruerim, meas laudes adscribere debeat? & contra saepius nomen meum adjecisti vel variis lectionibus a me prolatis, vel brevissimis admonitionibus, quibus ego neglexeram meum adjicere, quia ab editore proficisci illa nemo poterat ignorare. Tu vero ambitiosissime semper nomen tuum apparere jubes, etiam sub brevissimis notis, quae nihil fere docent lectores. Sed hoc tamen cavere debuisses, ne notas ipso Pseudo-Turnebo ineptiores effunderes, & ille prae te egregius commentator censeri possit. Saepe enim idem dicis, ut tamen nomen tuum nulla non pagina exhiberet, aliis, & saepe obscurioribus & pejoribus verbis dicta a Turnebo circumscribis. Sic pag. 85. n. 43. cum Turnebus recte *Thesim* explicuisset, & tironi docendo ejus nota sufficere posset, tu alio & obscuriore verborum ambitu eadem putidissime iteras, & eamdem paginam inutili iterum, idem nobis reddente, nota n. 46. oneras. Praeterea mala fide dimidiam partem notae Turnebianae abjicis, ut seq. notae 45. verbosae & inutilis furtum non appareret.

Pag. 46. n. 311. Turnebus explicuerat, *Biclinium*, coenationem, quae capit duos lectos, & *dictionem* compositam esse ex Graeco & Latino dixerat discipulo suo, quales notas ego, si mei arbitrii esset, semper ejicerem: imperitos enim valde esse oportet, qui talium vocum interprete egent, nec Fabius talibus scripsisse censeri debet. Tu vero non stupidis tuis Gallulis, sed elegantis ingenii viris, quibus te scribere vis credi, hic gratificari jactans, addis hanc nomine *CAPPERONNERII*, Licentiati Theologi, insignitam notam & memorabilem. *Fit biclinium ex Latina voce* bis, & *Graeca* κλίνη, *quae*, *NB. lectum notat.*

Cedite Germani, Critici concedite Belgae,
Nescio quid majus Sequana culta dabit.

Hoc enim est vere Graecum esse & Graece scire. Cujus rarae & hodie fere intermortuae scientiae Attici sermonis illustre adhuc das monumentum Pag. 556. n. 240. ubi cum Turnebus *Apollonium Drepanitanum* appellatum, a *Drepano* Siciliae oppido, quod a falce Saturni nomen habet, dixisset, tu adhuc Cimmeriis tenebris hanc antiquitatem involutam credens, & ne offenderent ingenio quidem, sed doctrinae copia minus excellentes discipuli tui, addis. *Caeterum ut Turnebianam notam de Drepani oppidi Etymologia facilius intelligas* (supple, *ô Gallule*) *animadvertere oportet Graeca voce* δρέπανον *falcem designari.* Σοφῶς ἢ καλῶς. quis nunc dubitet, quin Rex Galliae, suffragante ejus illustri praeceptore, praesulis insignibus ornet tantum Rhetoricae disciplinae magistrum & Graecae linguae professorem.

Pagin. 108. n. 18. recte & paucis verbis *Turnebus* exponit *Sponsiones*, tu illud ineptum tuum, & millies in notis tuis recurrens *supple*, addens, ita scribis, *supple*, *litigantium*, de quo nemo sanus litigabit aut sacramento contendet: nihil vero praeterea profers in verbosa nota, quae non Turnebus docuisset, nisi quod cum fastu quodam, nullo autore aut loco demonstrato, in fine adjicis, *plura vide apud JCtos*, quod idem est, ac si ego quaerenti a me, ubi tam capitale ingenium *Capperonnerius* reperiretur, responderem; si vis eum propius cognoscere abi in Galliam, & quaere per omnes ejus partes, donec inveneris.

Pag. 145. n. 81. *M. Antonium* a Fabio memoratum notaverat Turnebus esse Ora-

Oratorem illum a Cicerone in libro de Oratore memoratum, de quo nemo literatorum dubitavit umquam; nec qui videbit eum inter primos, qui de eloquentia apud Romanos aliquid condiderunt, memorari, tam fatuus poterit fingi, ut de *Antonio Triumviro* somniet hîc agi. Tu tamen, qui ex illustribus exemplis melius, ne forte comtulus quidam Gallulus, rationis temporum ignarus, hîc Germanis risum praeberet, si erraret, instrui credis, hac nota praemuniendos populares tuos censes. *CAETERUM* (particula, quae semper apud te notabile quid secuturum indicat) *memoratur hic Antonius*, *non ὁ* (ô Graecitatem reconditam) *Triumvir*, *sed celeberrimus ILLE* (ô mirandam Latini & Graeci sermonis variandi peritiam) *orator*, *quem Cicero in libris de Oratore inducit loquentem*. His in septentrione notis vix egemus, sed credo tuis Gallulis utiles, ne exteris sint ludibrio, qui *ALTORFIUM* dominum, & dominam *PELLAM* & nescio quas nobis metamorphoses narrant.

Pag. 442. n. 118. difficiliorem in toto Fabii opere locum reperiri negas, quem tamen tam plane & dilucide *Turnebus* exposuit, ut nullus post eum interpretum de ejus sententia dubitaverit aut haeserit. Tu vero ut tandem aliquid singulare ederes ingenii capitalis monumentum, scholastica ostentatione concidis & dividis notam verbosam in minutiores particulas, quae & singulae & universae idem plane efficiunt, quod unica & continua paucorum verborum serie dixerat Turnebus, nempe *Figuram* esse *figuratam orationem*, quae simulationem & colorem habet. Vide & pag. 559. n. 317. Hanc vero figurae significationem centies, ut ita dicam, ad lib. IX. cap. 2. per ἐσχηματισμένους λόγους ad nauseam usque explicas, cum potuisses semel defungi, & remittere lectorem ad Voss. lib. V. de Instit. Orat. c. VI. & ad commentatores ad Suet. Vesp. 13.

Pag. 463. inveheris in *Turnebum* iniquissima criminatione, ubi laudari maxime meretur. Jure quidem culpasse in Hermagora & Hermogene potest videri, quod artem Rhetoricam *infinitis praeceptorum* minutiis, & nimia diligentia multiplicatis sint complexi, a quo vitio nec ipse Fabius saepe longe abest; & quo tu quoque in hoc opere maxime insignis haberi voluisti. Quid vero tu *Turnebo* oggeris? nihil, nisi criminationem probrosam, illum non legisse Hermogenis libros, in cujus laudes tu evagaris longa oratione, cui parcere potuisses, si lectorem ad *Cl. Fabricii* Biblioth. Graec. lib. IV. cap. XXXI. §. 4. ablegasses: unde omnia, quaecumque profers, impudentissime furatus, in tuam notam, nulla ejus mentione habita, transtulisti. Sed tu *Turnebo* iratus, qui ex hoc objecto Hermagorae & Hermogeni vitio & morbo tibi unicam & summam gloriam captas, & plane nudus appareres viris doctis, si his Rhetoricis ineptiis & minutis partibus ostentandis prohibereris. Atqui meminisse deberes etiam gravissimi Ciceronis judicii de Hegesia Rhetore, quod ego protuli ad lib. XII. cap. I. initio, quem *fractum*, *minutum & in ipsa concinnitate puerilem* pronuntiat; quibus verbis veram tui nobis imaginem expressam esse credas velim.

Sed finem non inveniret hoc caput, si per universum volumen ineptas & absurdas in *Turnebum* notas recensere, & his addere insanos illos clamores in me, qui praeterierim vel librariorum aberrationes, vel eorum, qui dictata haec exceperunt aut exscripserunt, vel ipsos *Turnebi* falsi lapsus emendare neglexerim,

rim, quam provinciam mihi me non sumsisse jam antea saepe declaravi. Cur non Tu quoque semel monuisse contentus, has notas a *Turnebo* profectas non videri, & fuisse multis etiam maculis foedatas, (ut nec meae, nec tuae hac labe carent) ad majoris momenti verba & res explicandas, ad loca vitiosa & desperata sananda, te contulisti? Certe pudendum est, commentarium tam magnifica voluminis, caracterum, & chartae elegantia edendum dare Typographo, qui nobis, si diuturnior lucis contigisset usura, *Stephanos*, *Plantinos*, *Elzevirios*, &c. retulisset, & nunc ejus viduae spes ita fallere, ut tantis impensis editus Fabius ad tabernas salsamentariorum migrare cogatur. Denique quae haec Theologo digna est invidentia, Typographum meum lucello fraudare, & spoliando, & furando omnia, quae me auctore ad ornandum Fabium conferri curaverat, & quae porro meo sudore & ejus impensis sine ulla tua molestia congestae erant variae lectiones & notae, in usus tuos, & commendationem novae editionis surripere, & simul me meamque editionem infamare? Quid sit omnia jura humanitatis violare, nisi hoc sit, nescio Sed querelarum justarum finem faciamus, & post unum alterumve in alios etiam commentatores ineptarum criminationum exemplum, ad alia transeamus.

Quam indignum sit literato, & qui se doctum profitetur, homine, quam illiberale & inhumanum alios carpere ob levissima etiam ab operis Typographicis commissa, nemo humanitatis memor diffitebitur: si enim hoc nomine in omnes nullo discrimine saevire ferociter liceat, quis, quaeso, mordaces malignorum dentes effugere poterit? Sed eo turpius censebitur facinus, si editores longe ab illa culpa abesse se probare possint: Ego enim, licet hîc & illic aberrasse meam manum lubens confitear, tamen facile aequis lectoribus persuadebo, plerasque editionis meae mendas & vitia, quae pag. 21. Praefationis tuae longo ordine recenses, ex eo genere esse, ut mihi adscribi nequeant, nisi cavillari & calumniari voluerit: praecipua judicio lectoris permittam. pag. 653. n. 41. in Regii nota, ut tibi species aliqua novam notam, sed inutilem, adjiciendi detur, carpis legi *liquit*, cum manifestum sit aberrasse typothetarum manum, & *liquet* esse legendum, ut ipse *Regius* scripsit, quod per te discere potuisses, si antiquas editiones, quae ejus notas exhibent, consuluisses. An vero hoc dissimulasti, ut criticam, quam in Fabium nequis, in errores typographicos notarum stulte & pueriliter exerceres? Quis enim non vanam ibi ostentationem tuam exsibilet, qua ex Phoca Grammatico doces τὸ *liquet* carere praeterito, ut *taedet*? an Regium haec tangunt, qui *liquet* edidit? Egregia ergo nota Critica; *CAETERUM in Raphaelis Regii nota pro τῷ liquit legendum mihi videtur liquet.* Atqui ita Regius exhibuit.

Pag. 475. n. 69. in Colomesii notam criticum agis, & pro *Ambibologia*, ut tamen Diomedes & alii exhibent, *Amphiboliam* (quod & in Despauterio, Regio, Burmanno & aliis carpis p. 304. n. 539. 455. n. 1. 456. n. 25. 579. n. 263. & ante te *Vossius* diu fecerat, & *Stephanus*, & *Franciscus Junius*, quos non nominas, & MSS. fere omnes exhibere *Amphibologiam* constat) emendas, deinde Diomedis locum, in quo ille omiserat vocem *dicemus*, quae est in editione Putschii, corrigis, & pro *nec scias*, quod sanum & egregium est, *nescias*, quod nihil

hil mutat in sensu, supponis. Quid haec ad Fabium? tantum ut vendites & jactes veterum Grammaticorum editionem, quam promittis, sed qua facile carebimus, si in illa eandem insaniam insanire velis, quam in Fabii editione nobis ostendis. Nec meliora, aut quae ejus editionis desiderium excitabunt, specimina adfers incongruo loco p. 490. n. 228. ubi me reprehendis, quod in Regii verbis non emendaverim κακοσύνθετον pro *Cacosipitheton*. Sed haec inanis & fatua crisis, quae in librarium cadit, non Regium. in ejus enim editione, quam nunc ante oculos habeo A. 1512. Venet. & sine dubio in aliis etiam, legitur clare *Cacosyntheton*. mea sit ergo haec culpa, qui, fateor, correctoribus permisi aliorum notas emendandas, sollicitus tantum de meis, in quibus plus aequo etiam peccatum esse confiteor. Sed tuum erat, qui omnia rodis & carpis, consulere editiones priores; vidisses enim pro *yn*, vitio librarii irrepsisse *ipi*, quod non merebatur, ut tantae turbae a te excitarentur. Simili ineptiendi prurigine in *Turnebi* notas passim criticum te praebes, & mutanda & emendanda verba contendis, tibi visa perperam posita; & quia ego scilicet silui, ab his nugis abhorrens & aliud quod agerem habens, tu notas in me censorias ubique allinis.

Pag. 727. n. 22. ubi, *Pythagoras*, *qui potius Philosophi nomen usurpavit*, legitur. tu legendum tibi videri *primus* notas. Sed verosimilius longe est, tironis vel librarii culpa excidisse quaedam, & legendum, *qui potius Philosophi*, *quam Sophi* (aut sapientis) *nomen usurpavit*. Sed sit menda, quid moraris in notis Pseudo-Turnebi, quas omnes damnandas censes & ejiciendas.?

Pag. 567. n. 14. in *Almelovenii* nota duo carpis, quae in versione Demetrii Phalerei commisit, quae tamen ipse fateris in editione *Th. Galei* (viri multo te doctioris) reperiri; in eum ergo stringere ferrum deberes, ut facturum te minaris. Sed quia ambo mortui sunt, videamus quaeso, an prior saltem criminatio non inepta modo sit, sed te imperitum Latinae elegantiae esse probet. Vertit *Galeus* χαρακτῆρα per *notam*, tu vis, *dicendi genus* vel *formam*, vel *Characterem*, vel *figuram*, vel *stylum*, esse vertendum. Sed *genus* si adhibuisset, nonne ostendisset paupertatem elocutionis, qui in una periodo vocem eamdem toties geminasset? tunc enim debuisset scribere, *id est vulgari dicendi* genere, *quod* generi *dicendi magnifica tribuit Demetrius*. *Galeus* vero ad propriam vocis χαρακτῆρος vim exprimendam nullam aptiorem reperire potuisse videtur: nam & ex Lexicographis discere potuisses, proprie de nummis dici χαρακτῆρας, quas & formas & *notas* dicunt Latini, ut Fabius lib. 16. *sermone utendum ut nummo*, *cujus publica est forma*. Ovidius III. art. 480. *sermonis publica forma placet*. Horatius vero Poët. Art. 58. *notam* dixit. Deinde Graecos χαρακτῆρας dixisse in omni hominum vita *notas*, quibus homines variis moribus, sermone etiam & gestibus distinguuntur, tu *Gallule*, qui *Characteres* ita popularibus tuis dici novisti, &, *Graecule*, si Theophrasti χαρακτῆρας legisti, ignorare non debes. Hos vero Latinis *notas* dici, si nescis, docebunt te notae ad Petron. cap. LXXXIII. & CXXVI. & omnia Lexica. cui ergo bono ridiculis & paedagogicis his notis onerare bonum Quinctilianum? Quid? Quod hac alienas notas carpendi libidine ita transversus agaris, ut etiam debita laude prives eos, qui secuti lectiones optimas, eas etiam exhibent, licet in vulgatissimis observationibus, & ad Pac-

 da-

dagogorum scholas relegandis, operosas nugas agere nolint.

Sic pag. 605. n. 338. effers te insolenti & Grammatica quadam superbia, & doces Πενθημιμερὲς, non Πενθημιμερῆς esse scribendum, quis dubitat? potuisses totam illam notam in tria quatuorve verba, si tibi necessaria videretur, contrahere, *vide. Vinet. ad Auson. Centon. Nuptial. & Epist. ad Theonem*, unde tua furatus es, & qui ex Diomede & Terentiano dudum ante te hoc docuit. Debuisses quoque, si quis candor fuisset, laudare *Obrechtum* & *Burmannum*, qui deserta Leidensis & vitiosa aliarum editionum lectione, πενθημιμερὲς ediderunt, nec te monitore eguerunt, & qui parum solliciti erant, quid *Despauterius*, ignorabilis septemtrioni & obscurus grammaticus, & alii deliquissent in hac voce. Hic etiam te jactas in minutissima, ut ita dicam, minutia circa vitiosam Turnebianae notae vocem *barbaralexi*, cum sint manifesta operarum vitia. pag. 35. n. 52. & alibi, quae commemorare piget.

Pag. 628. 195. quia *Turnebus*, ut centum alii fecerant, *Plutarchum in vita Homeri* laudat, tu evagaris in notam, quae nihil ad Fabium pertinet, ineptissimam, & primus docere tui temporis doctos videri cupis, alios tribuere *Dionysio*: & hinc narras vitam illam editam a *Galeo*, ejusque versionem scatere erroribus, quod quibusdam etiam exemplis probare niteris, plura minatus in scholasticis tuis observationibus, ibique demonstraturum τὸ ἦθος esse leniorem animi affectum, quae nemo ignorat, & ad Fabium nihil faciunt. Quam non *Clericus* in me aut alium invectus fuisset, si ita extra oleas vagari instituissemus, sed Gallulis omnia licent, & mulus mulum fricare solet.

In meis etiam saepe notis Criticum agis, non ut quid addas, aut ampliori luce illustres, quod ad Fabium faciat, sed ut loca a me adducta ex usitatis & obviis editionibus, ad quae emaculanda, tunc cum scribimus alia, semper non vacat intendere animum, emendare videaris. Pag. 386. n. 327. ubi de *Trachalo* egi, in quibus si quid reprehendere haberes, eruditionem ostendere debuisses, tu subjicis, te *Graecum pronomen relativum* τὶ in *Etymologici Lexico*, & *Phavorino emendasse*. Fateris ergo ita legi in Etymologi editione, ut ego & alii ediderunt, quid ergo commisi? an ego etiam Capperonnerianas notas protrudere compellar, & omnia, quae adducuntur in notis aliorum scriptorum loca, longo verborum circuitu emendare, & omnes conferre editiones cogar?

Sic pag. 48. n. 37. ego Scauri locum, ita ut legitur in editione Putschii, adduxeram, tu pro *praeposito*, *praeteritum* esse legendum doces, quod incertum, cum *praepositum* respicere *pe* syllabam, quae in *pepigi* τοῦ *pago* praeponitur, possit, sed si tibi id probabile videtur, ubi Scaurum edes, id operose ostende, non intercedam, nec fortasse etiam legam.

Pag. 61. n. 6. ubi ne verbum quidem ego apposui, mihi adscribis vitiose edita *Mosellani* verba, quae tamen eodem modo in Vascosana editione legi fateris, & Criticum admodum importunum agis. Ut & eadem pag. n. 11. *Turnebi* verba excarnificas. Quo me ergastulo includi velis, nescio, si omnium ante me commentatorum verba exigere, mutare & emendare cogerer, & ita in multa volumina excrescentem Fabii editionem extendere.

Majori specie lib. VIII. cap. 6. pag. 525. n. 256. licuit tibi aliquid ad Virgilii lo-

locum, quia Fabius ipſe eum adducit, Critici acuminis proferre. Ego contentus retuliſſe varias codicum lectiones, nihil definio, ſed reliqui vulgatam, meo adhuc judicio, optimam. Tu contrariam in partem is, duobus argumentis. I. Quia in antiquis codicibus Piërius *ſpumantia colla* legi teſtatur. Sed ille nec in omnibus ita legi teſtatur, & *fumantia* etiam Chariſii auctoritate firmat. An vero *Piërius*, cujus primam editionem numquam vidi, ediderit *ſpumantia* neſcio, ſed in Stephaniana, quae Piërii notas exhibet, & aliis pluribus, *fumantia* legi ſcio. Ergo nullum hinc ineptae tuae rationi praeſidium. II. Quia τὸ *fumans* Virgilius de equis non uno loco uſurpavit: quod non capio, & abſurdum eſt; nam exempla, quae producis, non *fumantia*, ut deberent, ſed τὸ *ſpumantia* confirmant. Cerebrum aut manum tibi confuſam fuiſſe credo, cum haec ſcriberes, nam debuiſſes tibi probatam lectionem *ſpumantia* aliis exemplis probare, ſed ô bone! parum te Poëtas legiſſe aut capere apparet. Nemo enim nego *ſpumantes* equos ſaepe dici a Poëtis, ſed an *ſpumantia colla* equorum, de quibus agitur, poſſes producere, hîc inter nos diſquiritur: *fumare* vero & *ſpumare* differre ex Minucii Felicis loco a *Cerda* adducto diſcere potuiſſes: & *ora* & *frena* recte *ſpumantia* dici nemo negat. Ex ore enim *ſpumam* ferocientis & anhelantis equi exire mecum fateberis, ſed *terga*, *colla* & reliqua membra equi, curſu incitati & fatigati, *fumare* ſaepe, credo, vidiſti, & ita hanc vocem eſſe praeferendam ex ipſa rei natura, quam Poëtae exprimunt, colligere debuiſſes. Si adhuc dubites ita Poëtas diſtinguere, licet librarii, ut monui, paſſim haec non multum diſſimilia verba confundere ſoleant, diſce ex notis, multo melioris Poëticarum elegantiarum omnibus Gallulis arbitri, *Nic. Heinſii*, ad Ovid. II. Met. 324. XIV. 363. quibus adde *Scheſſeri* & *Gudii* notas in Phaedr. lib. III. fab. 6. Tu potius ergo intra Rhetoricorum & Grammaticorum elementorum anguſtias ingenii tui impetus coërce: *tractent fabrilia Fabri.*

Pag. 362. n. 22. in Euripidis loco, quem non ego, ſed *Pareus* produxerat, male poni accentum in vocula ὅμως, digna tuo ſupercilio nota, obſervare non contentus, me hoc *perperam ſiviſſe* cavillaris.

Pag. 384. n. 263. in loco obſcuriſſimo Fabii, qui vindicari a tali Commentatore, qui jactat ſe, quae nec *Scaliger* nec *Muretus*, nec alii viderunt, ſed in quibus turpiter errarunt, prolaturum in lucem, merebatur, ſed quem tu, relicta aliis commentatoribus interpretandi moleſtia, in ſordibus Aſcenſianis volutari ſolitus, intactum dimittis. Sed in *Badii* notis cum reperiſſes verbum *Hircillare*, pro eo *hirquitallire* reponendum eſſe monens, citas Feſtum & Cenſorinum cap. IV. de die Natali. Haec iterum furto alii ſublegiſti, &, ut ſuſpicor, *Laurenbergio*, qui in Antiquario ſuo caput IV. Cenſorini citat: nam in toto illo capite Cenſorini nihil ſimile occurrit, at in cap. XIV. Quare jure tibi repono, quae pag. 393. n. 407. mihi oggeris, verba tua. *Quanto ſatius fuiſſet auctores, quos citas, attentius legere, & quos legis intellectu aſſequi, quam famoſas & notabiles notas in auctores, quos neque legiſti, neque intelligis, compilare.* Sed viciſti, Licentiate Theologe, do tibi manus, & ſi quid poſt tuam editionem in mea editione vitioſi, ut multa eſſe fateor, ſupereſt, id ut omne in tuam infamiam, qui meas nefario auſu notas & varias lectiones in tuam editionem tranſtuliſti, lectores con-

conferant, jure postulabo. Quia vero tu eam in mea & aliorum scripta tyrannidem exercere voluisti, ut notas mutare, corrigere, resecare, tuis immiscere, & omnes turbare tibi sumseris, ut idem in tuis vexandis inclementes literarum carnifices audeant, voveo & precor. Sed quam perite & docte saepe in notis meis & aliorum tractandis versatus fueris, uno aut aliquo praeterea specimine orbi literato est ostendendum.

Cum ego spatii lucrandi caussa non semper versus adductos ex poëtis, separatos a prosa, sed intermixtos continua verborum serie retulerim, tu, qui modo moli augendae studebas, & quid versus esset plane ignorabas, turpiter te saepe dedisti, ut ante ex loco Dictyos Cretensis ostendi. Pag. 248. n. 579. Petronii locum soluti sermonis, *deinde ut audivi veterem convivam*, quia inaudieras forte & Poëtam fuisse Arbitrum, & carmina intermiscuisse prosae, & quia in mea Fabii editione operae lapsae turpi negligentia illa a *Pareo* producta Ovidii verbis intermiscuerant, tu lapsum quidem illum corrigis, quo nomine tibi gratias ago, sed Petronii verba eodem modo exhibes, quo Ovidii, quasi versum facerent.

Pag. 384. n. 259. *Turnebus* memoriae suae confidens ex Terentio locum de spadonibus produxerat, non ipsa ut sunt verba, sed, ut millies viri docti memoriae fidentes, quae sensum tamen aptum efficiebant. Illa tu hoc modo, quia olim audiveras Terentium versibus scripsisse, collocas,

Sunt magni amatores mulierum, sed nihil possunt.

hujus versus mensuram, si inire a ludimagistro jubereris, vereor ut ferulam evadas. Si respexisses enim Poëtam in Eunuch. IV. 111. legisses ibi,

At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos,
Sed nil potesse.

vides ergo quo jure tu unicus priorum interpretum corrector & emendator censeri possis.

Pag. 320. n. 70. ad Fabii verba, *parum existimant*, Regii notam ita exhibes. *I vocali adscripta existimant legendum.* Quae inepta est, si in textu *existimant* legatur: nec si ita legisset Regius, I vocalem adjiciendam esse monere poterat, quia repetita vox *existimant* iisdem literis constat. Sed & Regius & meae editiones in notae principio exhibent *exstimant*, cui si *I* addas, exit *existimant*; quod tu tam callidus alienae negligentiae indagator, qui tuus est stupor, deprehendere non potuisti.

Pag. 328. (quam tu numero 238. insignivisti) n. 144. librarii mei vitiose ediderant *Ovid. I. Am.* 448. Tu securus meae diligentiae, quae tibi semper suspecta esse deberet, ita edis, nisi, ut productior versus esset, pro *Am. Amandi*, profers. Et debuisses lectorem remittere ad *lib.* I. *Art. Am.* 648. ut jam in erratis monueram. Sed quod ipse ausus non fueram, correctionem istius loci, Tu secutus meam auctoritatem, in textum recipis, & tamen tibi sordeo. Si constare tibi diligentiae & curae in emendandis meis aut librarii lapsibus (quam tibi primam in editione tua gloriam arrogas) rationem voluisses, non deberet in mea nota legi. Pag. 13. n. 76. *vide supra lib.* I. *cap.* I. sed *lib.* I. *prooem.* non pag. 325. n. 77. vide *ad Petron.* CXXVI. sed CXXXVI. At talia plura, lectori de-

detinendo parum apta, possem memorare: Haec tolerabilia essent, si modo, plus tibi me & aliis sapere visus, non saepe manum alienis notis admovens depravasses verba, & alium sensum inde exire passus fuisses.

Pag. 160. n. 12. pro *ubi*, ut ego edideram, tu asterisco apposito (quod diligentiae & correctionis tuae signum primis, nescio cur non ad finem usque, paginis fulgere jusseras) *ibi* ineptissime refingis; & pag. 165. n. 136. eadem importunitate asteriscum apponis voculae a te in notis meis mutatae, & haec verba, *esse in servitute*, vel *pro servo*, vel *servire servitutem dicebantur*, quia tu non intelligebas, adulterasti, & me viris doctis ridiculum fecisti, mutando *nec servire servitutem*. Non capis, ô Theologorum acutissime, discrimen, inter *servum esse*, & *in servitute esse*, cui ultimae phrasi (fere scabie ex tua inelegantia contracta dixeram *aequivalent*) idem significant, *esse pro servo*, & *servire servitutem*. Hoc te loca a me adducta, si extra Rhetorica elementa aliquid scires, docere potuissent, praesertim ille ex lib. x. 10. *aliud est servum esse, aliud servire*. Non tibi, si vel juris Romani principia (sed quid illa ad Theologum Fabii editorem, qui ad *JCtos* lectores remittit, ubi quid ex jure incidit?) gustasses, permisisses, mea verba tam indocte & inepte mutari. Quid faceres denique Plauto, qui Capt. II. II. 84. *sed is privatam illic servitutem servit an publicam?* dixit. An ibi *servitutem servire* & *servum esse* idem, si notas ederes, nobis persuadere velles? Simili flagitio corrupisti notam a me profectam ad lib. v. cap. 8. ubi ego scripseram, *vide plura apud Salmasium de Homon. Hyles Jatricae* &c. Tu pag. 275. n. 6. edi jussisti, *Jatriacae*, quasi ego ignota Graecis voce usus fuissem, sed quam Tu, versatissimus in Grajorum medicorum scriptis, civitate Attica donasti. Quaeso, si ulla juris humani tibi sit reverentia, manum abstine ab alienis, nec ex Burmanno *Capperonnerium* facere velis; satis enim mihi jam displiceo, & licet non magni meam, quam literis adjuvandis adhibui, operam fieri sciam, nolim tamen tam vilis esse, ut Licentiati Theologi numero haberi possim.

In *Turnebi* nota apud me pag. 194. legitur, *Hannibal hoc strategemate* evasit, Tu, qui egregiam & supra omnes Scholasticos excellentem linguae Graecae peritiam ubique jactas, meam inscientiam corrigens, diverso charactere (*Cursivum* vocasti, & quo a me toties neglectas voces technicas jussisse edi gloriatus es) profers *Stratagemate*. Euge! Papae! Gallulum te esse probas, nam Lingua vestratium *stratageme* efferri forte novisti. Quam non demulcerem tibi caput, si propius adesses, & regererem tibi memorabile illud epiphonema, quod ad notam Almelovenii p. 44. n. 262. extra te raptus tollis, *Eant nunc, qui Latine scire se posse confidunt, etsi Graece nesciant*.

Sed quia de Graeca tua eruditione nemini mortalium, post promissam Rhetorum Graecorum editionem, dubitare fas sit, videamus Latinae linguae peritiam singularem, quam in verbis meis mutandis & depravandis ostendis pag. 498. n. 395. ubi editio Leidensis & aliae habuerant, *ad juris studium divertere*, quod in nota mea pag. 707. Ed. m. damnabam, & *devenire* esse scribendum, rationibus tam certis persuaseram, ut & tu, qui me addictum Leidensi editioni calumniatus es saepe, ea deserta, meam emendationem quoque sequaris, & codicis Bernensis auctoritate, quam ego in addendis produxeram, quasi Tu solus eam consuluisses, superba epicrisi firmare non erubescas. In illa vero nota discrimen inter

devertere & *devenire* lectorem doceo. Tu in tua editione bis *devertere* depravas in *divertere*, quo jure nescio, nisi unico praesidio ignorantiae, & paedagogici fastus confisus. Nam si notas meas ad Petron. cap. IX. legisses, potuisses certe intelligere, me semper *devertere* hoc significatu, de quo nunc agitur, scribendum esse censuisse. Sed ô obliviosum Licentiatum! cur non in memoriam tibi rediit, me hoc jam monuisse ad Fabii lib. II. cap. 3. pag. 136. edit. m. & pag. 89. n. 32. tuae, ubi Tu ipse mihi obsecutus ita edi verbum illud curasti. praeterea lib. IX. cap. II. pag. 561. & lib. X. cap. I. p. 625. edit. t. edidisti quoque, me auctore, *deverticula*, *non diverticula*, ut Leidensis & aliae olim dabant. Attendisse te vero ad minimas etiam aberrationes video: nam quasi magni momenti res esset, pag. 33. n. 176. asteriscum apponis τῷ *impersonaliter*, ego quid hîc in *Camerarii* nota edenda peccassem ignarus, recurro ad meam editionem p. 50. ubi video *inpersonaliter* editum: digna certe tanto Theologo animadversio! ita pag. 36. n. 36. asteriscus conspicitur ante REGIUS, quia scilicet in mea editione erat REHIUS; sed pudet minutarum mendarum, quarum quaedam tamen censuram tuam effugerunt: ut pag. 58. Ed. m. non notasti in textu perperam legi *qua circum litora*, pro *quae*, nec pag. 61. in notis *occurrat*, *id est respondeat*, pro *occurras* & *respondeas*. Gratulor mihi acerbi censoris in oculos haec non incurrisse. Aliud inscitiae & impolitiae argumentum praefert pag. 315. n. 182. ubi ego scripseram & edideram, *nam plurima ibi omina cumulantur*. Tu refingis *omnia*, quae nullum sensum, aut ineptum efficiunt.

Vides jam credo, Aristarche, quo obeli tui & asterisci evadant, nempe ut te Graecae & Latinae linguae parum prudentem esse doceant. Sed liberalis ero & lapsus quosdam, qui effugerunt aciem tuam, sponte indicabo, quaeque si animadvertisses, in me debacchandi tibi viam latam dedissent. Pag. 527. Ed. m. legitur vitio librarii, *Galleus mallebat*, cur non notasti legendum esse *malebat*, an oblitus Grammaticae tuae eras, aut an mihi parcere voluisti? Pag. 532. Ed. m. eadem manus aberrans ediderat *Hoelzinus*. Amicus tibi & adjutor ex notis ad Bailleti Judicia de Criticis Grammaticis §. 523. n. 21. pag. 241. Edit. Amst. te docere potuisset, scribendum esse *Hoelzlinus*, nam illi notus fuit. Et ex eadem viri istius docti admonitione potuisses corrigere in nota *Almelovenii*, pag. m. 536. tua vero 376. n. 114. *Axeni*, pro *Axemi*. Sed non noveras homines istos; ideoque insalutatos praeteriisti. Pag. 542. Edit. meae, tuae vero 379. n. 196. facile potuisses videre in loco Plauti pro *variis*, esse emendandum *varius*, si vim vocis percepisses. Pag. 545. m. & p. 382. n. 229. in initio notae meae pro *dicti*, corrigendum esse *dicenti* te multo stupidior deprehendere potuisset, Tu vero, audacissime in aliorum verba grassator, emendas *dictum*, ita ut nihil sit, quo τὸ *Turnebo* referri possit. pag. 638. m. & 448. n. 4. tuae Ed. *octaplum* occurrit in nota mea, quod Tu forte Latine dici credens, non ausus es mutare in *octuplum* asterisco apposito, obscurae diligentiae signo. Sed maxime miror me evasisse styli tui atrocitatem pag. 669. Ed. m. ubi legitur *Iberica herbas*, quod & tua p. 472. exhibet, cum *Ibericas herbas* legendum esse vel puer videat. Pag. 992. in editione mea, me invito, legitur *Hyde de Nerdcludio*, quod & in tua p. 689. remansit, quia sine dubio viri istius docti de *Nerdiludio* librum numquam vidisti,

sti, non enim evadere immites tuas manus aliter licuisset. Pag. 1029. Ed. m. *raucessérent* pro *raucescerent* aberrans manus librarii dedit, Tu vero p. 710. hanc a Grammaticae praeceptis aberrationem secure praeteriisti, cum tamen notam illam meam diligenter excussisse appareat: nam maximam ejus partem invidisti Parisiensibus tuis, nec negare factum, nec ausus defendere delicatuli oratoris funebris contra Fabii praecepta inter orationem non admodum longam bis bibentis, & operis & hominum contemptum fatentis, confidentiam. Certe nobis Belgis id mirum fuisse visum non indignari debuisses, licet adsuescere his Gallulorum histrionum ostentationibus jam incipiamus, & hîc in Belgio, Roscium quemdam in theatro sacro non inter orationem bibentem quidem, sed non tantum centies sudario, instar mappae circensis, amplo & explicato sudantem faciem defricantem, sed, ne scilicet sudore intus acto letalem morbum sibi in via contraheret, in ipsa Cathedra madidum mutasse sicco indusio, nostrates viderint. Sed fortasse in hos mores, politos admodum & elegantes, paulatim rusticitas Batava transibit, quae deinde tibi, quod tam illustria exempla resecare audeas, indignabitur.

Hac vero in parte operis Fabiani, ex qua ultimus hic de oratoris moribus & gestibus locus est adductus, vires tuas & doctrinam omnem exserere, & ubi de pronuntiatione & dignitate oratoria tam egregia dantur praecepta, notis luculentis & eruditis magistrum eloquentiae illustrare oportuerat. Sed praeconsumpseras omnes ingenii & doctrinae opes, in figuris & tropis exponendis, & his, ut multis videbuntur, ineptiis tractandis & retractandis, ita depressus tibi fuerat animus, ut ad haec digniora respicere non posses.

Sed quis finis erit, inquis, tam verbosae epistolae, saltem metam hujus capitis jam prospicere optarem. Ne stomachere, quaeso, duo modo, sed illustria exempla producam, primum ex hoc eodem de pronuntiatione capite tertio lib. XI. unde & bona tua fides, & insignis dexteritas & sollertia in verbis meis corrigendis, & pervertendis, apparere possit. Pag. 701. n. 226. ego censueram pro *salutatio* legendum esse *saltatio*. Tu, qui sola mihi obloquendi prurigine ineptissimas saepe lectiones defendendas suscipis, nihil habes quod mihi opponas, nisi quod unius codicis *Almeloveniani* (quem ubique fere infamasti, quem fallacem, vitiis scatentem, & indignum pronuntiavisti, & cujus infinitas, quas ex eo produxeram, varias lectiones ex editione tua abjecisti) auctoritate nitatur mea correctio, cum tamen & *Vallae* librum advocassem, & simili loco ex hoc ipso capite, cui addere alium ex lib. I. cap. II. & notas Almelovenii potuissem, confirmassem. Deinde addis ineptam alteram rationem, quia *Pantomimorum* saltationes non *frequenter* tantum, sed *saepissime*, immo fere *semper* erant sine voce. Hîc jam fidem tuam desidero: nam tu solorum *Pantomimorum* meministi, ut species tam puerili argumentationi conciliaretur, ego vero in nota, quam carpis, dixeram. *Respicit mimos & pantomimos*: debuisses ergo ostendere *mimos* etiam *frequenter*, *saepissime*, immo fere *semper* sine voce salutasse. Et deinde ridicula sane antiquitatis ignorantia, *saltationes* illas mimicas, similes vestratium puellarum & adolescentium fuisse, censere videris, quae *inclinatione capitis*, *denudatione*, *flexione genuum*, *pede retrorsum jactato*, *oris manusve*

nusve

nusve osculo, &c. peraguntur. Quis non rideat haec in Theologo, qui quasi e ludo saltatorio prosiluisset in Cathedram Academicam, & Ecclesiasticam, tam perite de saltationibus mimorum & pantomimorum commentatur? Vellem equidem Tibi, Capperonneri, occurissem Parisiis, ut concinnos illos & elegantes salutandi gestus, & corporis mimicas inclinationes admirari potuissem, quas nos rusticiores Belgae, ut & ridicula illa, & a Martiale & Juvenale jam egregie irrisa oris manusve oscula, ut parum viros decentia, & magis tralatitium blanditiarum & lenociniorum fucum, quam veri affectus & amicitiae pignora, interpretari solemus. Nos etiam, qui humanioris disciplinae studia tractamus, illas *salutationes*, si jam illae in Fabio sint admittendae, de clientibus, qui matutinum ave patronis suis ferebant, quam de occurrentium ridiculis gestibus capere mallemus.

Alterum & insigne aliena carpendi libidinis exemplum exstat pag. 386. n. 304. ubi laudaveram Scholiasten Juvenalis ad Sat. VIII. ℣s 86. Me demisso, invadis Scholiasten, ubi pro *Hostium*, *Hospitium Mimi* vis legi: ridicule, si quid umquam: sed cur non explicas illud *Hospitium?* an vero in *sipario* hospitabatur mimus? cur non *Hostium* pro *ostio* capis, ut in circo erant carceres, qui & *ostia* vocabantur: nam ita forte in scena erant recessus, cubicula, aut aliquid simile, quod ostium vocabatur, velo tectum, ex quo mimus prodibat, partes acturus. Vid Voss. Etymol. in *Paradoxum*, quod certe verosimilius tuo *hospitio*, quod non explicas, sed quo magnificentius te supra me effers, & mihi insultas, quod ne γρῦ quidem de voce *paradoxus*, *quam exponere*, *non est cuivis in proclivi*, protulerim. Miseret me tui, Capperonneri, qui semper tam manifesti furti deprehenderis, ubi maxime gloriaris. An putas me, si Fabius de *paradoxo* egisset, non potuisse ex *Falconerio* ad Inscript. Athlet. p. 43. & Juvenalis Scholiastis, & Plutarchi (ita ut tu emendas jam correcta) & Eusebii verba suffurari? Immo multo plura adjicere. Sed eruditionem intempestivam ostentare, adducta in aliorum notis loca vexare, & ad Fabium ipsum nihil conferre, tibi relinquo. Sed hîc, licet plenum adhuc habeamus horreum, erroribus tuis primae classis recensendis finis & meta esto, vix enim, si altius provehere vellem, portum prospicerem.

CAP. IX.

De notis ineptis, puerilibus & Minellianis.

ALterum vero notarum tuarum genus non diu quaerendi labore me fatigavit: nam nullam vidi fere paginam, quae non oculis meis ingentem copiam & *innumerum numerum* puerilium & ineptarum notarum offerret, ita ut, si illas excutere, vel in seriem modo numero paginarum notatas disponere & oculis lectorum exponere vellem, libellus inde non exiguus mihi nasceretur: sed quis talia legeret? Quare illustriora tantum quaedam specimina proferemus, quae docebunt te solum id intendisse, ut vasti voluminis auctor possis celebrari,

ri, & ad veteres interpretes notas quasdam ineptas, ridiculas & inutiles adscripsisse videreris, quibus id tantum ageres, ut Burmannianam editionem obscurares & infamares: dignum, mehercules, Theologo propositum! quod quomodo tibi successerit, jam videbimus porro. Principem vero locum dabo selectis ex magna copia, paucis, quibus, ut Graece scire te ostentes, loca aut a Fabio aut interpretibus Graeco sermone producta, Latine vertis, aut ubi Latina versione commentatores contenti, lectori gratiam Graecorum legendorum faciunt, tu molestus esse non dubitas Graeca verba adjiciendo. In auctore ipso, si qua Graeca occurrunt, quae explicanda lectoribus esse censent viri docti, consueverunt fere in calcem libri rejicere eorum versionem, ut Ciceroni, Suetonio, A. Gellio & aliis factum nosti. Sed magis ambitioni tuae velificaturum te credidisti, si in ipso voluminis corpore plurimae notae sub capitali *CAPPER.* nomine productae legerentur.

Pag. 684. n. 1. *Almelovenius* producit Graeca Philostrati verba de memoria, naturae munere. Tu subjicis, tantum ut augeas notarum spatium, inutili opera Latinam versionem. Sed idem *Almelovenius* p. 668. n. 87. Latine tantum Platonis locum produxerat; hinc non in illum tantum, sed in me, qui locum adductum non ad Graeca Platonis verba exegerim, incurris. Sed saepe jam dixi, me non credidisse id mihi negotium datum esse, ut omnia loca, a commentatoribus adducta, emendarem, & reprehenderem, quam gloriam ingloriam *Capperonneriis* reliqui.

Pag. 727. n. 21. *Turnebus* Phoenicis verba apud Homerum, quia certe ille Poëta omnibus suo tempore familiarissimus erat, Latine tantum producit. Tu, quia hodie forte negligi Graecum Homerum in Francia & abjici doles, addis, *Phoenicis verba leguntur in Homer. Iliad.* I. vs. 443. μύθων *&c.* Nisi enim index opportunus exstitisses, nullus hodie Gallulus haec in Homero invenire potuisset. Majori beneficio politos & comtos illos hodiernae supra veteres excellentiae patronos devincis, cum pag. 734. *Turnebo* laudanti Plutarchi libellum de *vitiosa verecundia*, tu adjicis, *Plutarchi libellus inscribitur* περὶ δυσωπίας. vellem & editionem, qua uteris, & paginam eadem opera indicasses, ita saltem uno versu tenuis & exilis illa notula crescere in justum spatium potuisset, & Galluli tui aliquid discere, quod nulli mortalium sub septemtrione nato in mentem adhuc venisset. Sed eadem humanitate nobis Graecarum Etymologiarum imperitis subvenis pag. 636. n. 1381. ubi notabili illa voce, qua insignes notas ordiri soles, CAETERUM usus, de *Theophrasto* & ejus nominis ratione commentantes Turnebum & Almelovenium (ego enim non initiatus istis mysteriis locum periculosum tacitus praeterii) ita adjuvas; CAETERUM Θεόφραστος (*Theophrastus*) fit ex θεὸς *Deus*, & φράζειν, *eloqui.* Quanta reconditae Graecitatis facultas!

Pag. 747. n. 99. *Colomesii* notae, in qua verba Graeca Plutarchi leguntur, liberale a manu tua, semper singularia & aliis indicta largiente, corollarium adjicitur, *Graecorum verborum sensus est hujusmodi*, *centum* &c. idem officii praestas etiam pag. 636. n. 367. & 376. & millies, quae recensere infiniti & molesti laboris esset.

Me etiam pauperem & tenuem hominem pag. 753. n. 249. lectores occupatos alibi inhumane admodum ad Homer. Il. Γ. 215. rejicientem, nec dignantem ipsa verba producere, comiter juvas, & *Poëtae Graeci verba esse ἰδί᾽ ἀφαμαρτοεπής*, adfirmas. Utinam tibi par pari reddere possem, ô Capperonneri, sed cavisti tibi, ne abs quivis homine cum est opus, beneficium accipere cogereris, sed ab illis, quos aequum est tibi benefacere, Ephemeridum compilatoribus, qui numquam ita magnifice quicquam dicent, id eruditio & humanitas quin superet tua, & qui unam hanc rem praeter ceteras praecipuam habes, ut nemo sit Rhetoricae & Grammaticarum artium magis princeps. Sed tamen, qui ubique tam larga manu ex Graecis Rhetoribus & Eloquentiae magistris, quos praeter te nemo fere hodie legit, verba Graeca, Latina versione comitata, profers, si paterere me tibi subministrare versionem Latinam verborum Longini, quae pag. 154. n. 9. sola profers, fortunas meas, qui tanto serviissem viro, laudare possem, praesertim, cum subindicare videaris aliquid tenebrarum πραγματικὸν illud Longini ostendere, cui tu suffundis lucem.

At mittamus interpretibus, & mihi ex Graecis tuis opibus suppetias latas, & convertamur ad ipsum potius Fabium, quem nos crasso sub aëre nati perspicuum satis & sensus obvii & minime obscuri, nisi in corruptis & depravatis locis vitio librariorum & exemplarium antiquorum inopia, scriptorem adhuc credidimus: sed quem Tibi & Gallulis tuis, & praesertim pueris, quibus hunc in primis legendum auctorem commendabas, infinitis in locis Cimmeriis tenebris obscuratum & obductum esse ex tuis notis discimus & dolemus, & simul communem illam luminis & mentis caecitatem, qua in tam illustri olim Francia pauci erant capti, miseramur. Hae enim notae tuae, numero infinitae, jam ostendent vera esse, quae diariorum eruditorum compilatores, Galluli, Reipb. Literariae dictatores perpetui, & censores severissimi, plena manu in nos effundunt convicia & opprobria, quia nos ita nudatam Franciam veris eruditis & Criticis, & in primis Graecae linguae studiosis, solemus mentiri, ut ne *Capperonnerium* quidem, id est, ut Batavi dicerent, *Minellium*, aut Germani, *Junckerum*, exteris hodie ostentare posset. Quis enim hodie, nisi tu, Sibyllinorum foliorum unice interpres, docuisses, sibi fingere potuisset *Civilem virum*, esse τὸ πολιτικόν. Quod aperte Fabius lib. I. cap. 10. ubi tu nihil adnotaveras, docuerat, sed quod hic in clara luce ponis, & praeterea ex ubere tuae copiae cornu promis notas insignes, quae hoc ostendunt ter quaterve brevi intervallo pag. 5. n. 30. & 676. n. 107.; & *Civilitatem* esse ipsam τὴν πολιτικὴν p. 122. n. 92. p. 123. n. 130. p. 129. n. 46. & 137. n. 3. iisdem fere verbis, & deinde *civilem scientiam* esse *sapientiam*, sive *civilem prudentiam*: pag. 123. n. 132. Hoc ignorabant scilicet hodie Franci, & Belgis a *Lipsio*, *Civilis doctrinae* libris claro, olim edoctis, pudendum sane in modum, jamdudum exciderat. Jam vero *sapientiae studiosos*, quis τὰς φιλοσόφους esse apud Fabium pag. 5. n. 48. & *sapientiae praecepta* pag. 25. n. 20. esse *Philosophiam vulgo dictam*, nisi te doctore, hodie in Europa potuisset conjicere? immo, licet ipsam etiam *Pithoei* notam pag. 7. n. 58. legisset, capere nemo potuisset. Quis *promittere* ead. pag. 5. n. 41. apud Graecos dici ἐπαγγέλλεσθαι, & apud Francos *se pic-*

picquer de, *faire parade de* &c. somniasset, nisi tu Fabii interpretationem *promisisses?* Sed quod majoris momenti, & remotum magis a vulgi usu videtur esse, quis *translata*, *metaphorica*, & *translationes*, *metaphoras*, vel Graecis literis μεταφορὰς esse credidisset, nisi tu pag. 223. n. 293. 473. n. 24. 488. n. 203. 489. n. 222. & 749. n. 144. (quem tu locum in indice monstras, sed ego invenire non potui) toties duris & indocilibus sub Borea natis ingeniis inculcasses. Utinam tu haec docuisses summum illum Graecum *Clericum*, certe non proscripsisset libros Sacros Moysis & Vatum ex sua *translatione* id est, te judice, *metaphora*. Nec idem ille a Geneva profectus, ut Hollandorum ingenia crassa poliret, toties in Arte Critica *translatitium* pro τῶ *translatum* seu metaphoricum posuisset, si legisset notam tuam pag. 535. n. 29. nec nomen suum in indicem, quasi in proscriptionis tabulam relatum doluisset, cui demsisti tamen stuporis notam pag. 602. n. 83. a me ipsi inustam. Quis puer ignarus Grammaticae Graecae, & apud Fabium pag. 41. legens Graecos habuisse numerum δυϊκὸν, tibi non gratias egisset, Latine eum discens *dualem* dici, & magistro suo dictata reddens non jactaret, debere se hoc *Capperonnerio*, ut & pro *nominativo* nominis, vel verbi indicativo praesenti, jam scire, te ter quaterve monente, esse dicendum *primam positionem*, vel θέμα: ut tu mirabiliter doctus tradis pag. 44. n. 272. 48. n. 30. 49. n. 59. 50. n. 96. & nescio an pluribus locis: & ne Tiro incautus erraret deinde ad graviora admissus mysteria, θέματα diversa ab his, & θέσεις *argumenta* & *proposita* se distinguere a te didicisse pag. 230. n. 135. & 406. n. 12. profiteretur. Hae sunt vere doctae & ex interioribus literarum recessibus prolatae notae, quarum perennis gloria in posteros seros propagabitur. Nec inutiles etiam esse illas notarum tam tenuium & jejunarum repetitiones deprehendi, quia saepe te hîc obscuriorem, illic apertiorem interpretem praebes. Sic pag. 31. n. 145. postquam *Epicoena* explicuisses per Ἐπίκοινα Graecum (ut inde simul discere tiro posset diphthongum οι Latine efferri per *oe*) *cujusmodi sunt ὁ καὶ ἡ*, *hic & haec canis*, quae mille vix mystae, & nisi Graeci doctissimi, caperent, deinde captui vulgi Latini te magis accommodas p. 49. n. 43. ubi *Epicoenum*, esse pronuntias, *masculinum simul & foemininum*, & pro incredibili eruditionis tuae copia, novo exemplo illustras, *ὁ καὶ ἡ lepus*, quod divinitus tibi in mentem venit. Sed ne omnia enumerem, quis, etsi mille lexica haberet, divinaret *substantiam* esse οὐσίαν p. 7. n. 65. quîs *curam bene & velociter scribendi* καλλιγραφίαν & ταχυγραφίαν Graecis vocari p. 14. n. 109. quis *insecabilia corpora* ἀτόμους p. 132. n. 212. & 149. n. 48. quis *scholas* σχολὰς p. 143. n. 54. denique quis seriem illam Latinarum vocum p. 176. n. 346. & seqq. Graece reddere scivisset, nisi tu novus Fabio interpres ex coelo missus adfuisses? Quis novisset *artem* esse *potestatem*, id est δύναμιν, id est *facultatem*, ut jam loqui amant, nisi tu indicasses pag. 132. n. 126.?

Quis umquam potuisset Fabium legens pag. 51. intelligere *Etymologiam*, si verbum e verbo ducatur, esse *verilogium*, nisi tu post longam meditationem ostendisses, fieri ἐτυμολογίαν *ex* ἔτυμος *verus*, & λόγος *loquela*. Quis praeterea nisi ad Arithmeticae artis summam evasisset, ex tempore, promte, memoriter & ne ad digitos quidem calculo inito, conjecisset, E esse vocalem secundam in-

ter quinque A. E. I. O. V. nisi tu in illustri tabella vocales quinque uncialibus literis proposuisses, & ex ipsa positione oculis stupentium ostendisses, E secundum inter illas locum tenere pag. 59. n. 82.? eadem etiam benignitas tua me docuit, quod hucusque & mille forsitan mecum numquam in aliquo commentario legerant, literam F. inter elementares obtinuisse sextum locum apud Romanos, quod praefixo τῷ CAETERUM tu primus aperuisti. O incognitum aliis gentibus arcanum! Haec sane sunt magnifica & manifesta argumenta, in Francia adhuc superesse, qui ignorata *Scaligeris*, *Muretis*, *Budaeis* &c. hodie in clarissima luce ponunt: & qui *significanter*, (sive, ut Graeci Rhetores dicunt, ἐμφατικῶς pag. 60. n. 104.) id est ornate, breviter & dilucide scribere & dicere soli hodie possunt, & qui morosis & maledicis Belgis probant Criticos accerrima dijudicandi vi insignes Galliae nondum deesse.

Utinam sub tali magistro mihi puero & juveni crescere licuisset, utinam ab ore tam erudito & diserto pendere mihi datum fuisset! certe alium orbi erudito Quinctilianum obtrusissem, & illa *artificialia*, id est τὰ τεχνικὰ pag. 63. n. 53. ad unguem calluissem, quorum ignoratione pudendos in errores eruditi impingunt, pag. 572. n. 139. Nunc, me miserum, qui ne *imaginem quidem ipsam*, id est, ut Tu egregie pag. 82. 68. αὐτὸ τὸ τῆς Πειθοῦς εἶδος, (hoc est) *formam*, *essentiam*, *ideam ipsam* & *quasi formalem rationem Suadelae* (id est Eloquentiae) humana mea mente concepi, sed ne *speciem* quidem ex *aliquo prototypo* (scilicet *Capperonnerii* divina mente) *expressam*, *adumbratam*, *vulgo* copie, *assequi possum*. O me infelicem & serum studiorum! qui in natali solo, tenebris aeternis & frigore damnato, tam iniquas Parcas expertus sum, & non in molli illo & erudito aëre primas auras hauserim, ubi

Sponte sua Graecos dat terra beata Magistros,
Et Cappronneriis dives abundat humus.

In beato illo delicati orbis oculo postquam elegantes illas salutantium gesticulationes, a ludi mimici doctore & Rhetoricae scholae magistro didicissem, Graecae & Latinae Grammaticae elementis, millies stupido & tardo ingenio inculcatis, inundatus, ad interioris Rhetoricae tandem mysteria, & ad *innumerum* illum troporum & figurarum *numerum memoriter ediscendum* (ut tu loqueris p. 670. n. 111.) ferula CAPPERONNERII (Galluli quidem comti & delicati, sed nominis ad Borealis horroris similitudinem formati, & ipso sono tremendi) fuissem compulsus. Deinde ad *Declamandum* vel ad *Declamationes*, (id est μελετᾶν vel μελετάς) sive ficto de argumento exercitationes, pag. 18. n. 56. 83. n. 5. 107. n. 9. 135. n. 16. 231. n. 143. 199. n. 233. 435. n. 145. 444. n. 161. & centies alii indicatas, accessissem, & cum antea ex Graeca voce μελετᾶν, *meditari*, & *meditationes* Latinas derivatas fuisse per nebulam tantum viderim pag. 633. n. 314. clariori luce postea Graecitatis & Rhetoricae perfusus fuissem. Ubi vero forensibus actionibus prolusissem, tandem ad *agendas caussas*, *in forum* velut in aliud coelum translatus, prosiluissem, & *actor*, id est *caussarum orator*, & *agere*, id est *caussas orare in* foro, & *actiones*, scilicet *forenses*, didicissem. Ipsam enim vocem absconditam & raram (quam semel Te, parcum tui ostentatorem, tantum in indice explicuisse, positam pro τῷ *caussam agere in foro tamquam pa-*

tra-

tronus. p. 414. n. 177. offendi) *agere*, & inde derivata *actor*, *actio* & *actus* hoc praecipue ſenſu apud Fabium, voce praeceptoris viva & clara, ſumi didiciſſem, quod nunc per tam vaſtum commentarium diſperſis his locis repetitum magno labore inquirere debui: ut pag. 70. n. 9. 77. n. 38. 79. n. 16. 107. n. 14. 113. n. 44. 115. n. 34. 120. n. 33. 123. n. 123. 125. n. 10. 128. n. 25. 178. n. 392. 183. n. 499. 212. n. 25. 213. n. 29. 218. n. 176. 230. n. 133. 243. n. 426. 254. n. 20. 255. n. 52. & n. 11. 261. n. 11. 267. n. 33. 272. n. 103. 305. n. 563. 359. n. 204. & 217. 379. n. 189. 381. n. 212. 400. n. 68. 414. n. 177. 433. n. 104. 538. n. 109. 623. n. 100. & 663. n. 15. 729. n. 49. 732. n. 24. & infinitis fortaſſe locis aliis. Hoc eſt verum & profeſſum Rhetoricae magiſtrum ſe exhibere, & docilibus ingeniis, antequam obduruerint, quaſi repetitis ictibus inſtillare, infarcire, inculcare, & charactere, id eſt nota quae numquam deleri poteſt, incidere & inſculpere, voces illas cognatas *agere*, *actorem*, *actionem* & *actum*, de forenſibus cauſſis, rara quidem, ſed nulli lexicographorum incognita ſignificatione, ſed *frequenter*, *ſaepiſſime*, imo fere *ſemper* apud Fabium occurrere.

Quam non promte & ex tempore potuiſſem hodie reſpondere conſulentibus quid eſſet *controverſia*? videlicet, eadem quae eſt *ἀγων*, *Hypotheſis* vel *cauſſa finita*, *& de genere judiciali* &c. quae proprie opponitur *ſuaſoriis*, quae ſunt *generis deliberativi*. Quae centies a *Voſſio* & aliis repetita, tamen Belgis incognita (quis enim aetate provectior hodie Voſſium legit?) potuiſſem commentario meo in Fabium inſerere, ut tu egregie praeſtitiſti pag. 83. n. 10. 95. n. 113. 96. n. 139. & 140. 107. n. 2. & ſeq. (ubi in tranſitu monendus es n. 8. te perperam lectorem remiſiſſe ad libri II. cap. 21. cum verba quae profers legantur in cap. 20. ubi ego *perpetuam orationem* illuſtraveram, unde & tu tua repetiiſti pag. 309. n. 25.) 161. n. 35. 163. n. 35. 170. n. 229. (quae nota inter reliquas excellit) 198. n. 206. & 209. 199. n. 227. 204. n. 5. 329. n. 59. 437. n. 12. & 13. Denique ſi te praeceptore uti fortuna dediſſet, nihil ignorarem in difficillima illa, & quam ipſe Fabius intricato admodum & perturbato ordine tractat, materia *Statuum*, ſed quidquid ſubtile & tenue ibi lateret, ſecutus paedagogicam illam & Scholaſticam tabellam, quam tu p. 181. proponis, perpetuo filo deducere callerem. Inter alia vero, te ſine ullo ſtomachi tui faſtidio centies fere ad lib. III. cap. 6. repetente, numquam memoriae excidiſſent *Definitivus*, *Legalis* & *Qualitatis ſtatus*. Sed praecipue clavo trabali fixa inſediſſet *conjectura*, ſive *ſtatus conjecturalis*, quem tu non ſuo modo loco, ſed ubique in tam manifeſta luce collocas, ut, qui modo oculos habeat, eos ſaepe perſtringi radiis tuae diſciplinae ſentiat. Vide p. 94. n. 106. 160. n. 23. & 26. 161. n. 46. 162. n. 71. 72. & 73. 163. n. 85. 167. n. 160. & 174. n. 168. n. 181. 169. n. 208. 176. 225. 178. n. 384. 180. n. 439. 181. n. 456. 182. n. 477. 185. n. 542. 206. n. 10. 207. 30. 32. 37. 208. n. 56. 310. n. 114. & deinde, (quia per longum intervallum excidere lectori poſſet) ampliter iterum & iiſdem ſaepe verbis ad lib. VII. cap. 12. num. 1. 15. 18. 26. 30. 99. 105. 112. 286. 201. (id eſt decies in uno modo capite) deinde cap. ſeq. 111. pag. 428. 1. 21. 25. 63. 118. (id eſt eo capite quinquies) cap.

seq. n. 5. 99. 195. (id est eo capite ter) denique pag. 465. n. 47. & alibi saepissime.

Video, mi Capperonneri; & agnosco sine ulla livoris aut invidiae umbra, merita tua insignia in rempub. librariam, & infelicitatem meam deplorare cogor, qui non talem nactus sim Magistrum, quo praeeunte & quotidie ad ravim usque eadem praecepta, *verba technica*, *status*, *tropos & figuras*, sive τῆς λέξεως sive τῆς διανοίας, sive *verborum* & *sensuum*, quae ad lib. IX. cap. 3. (ubi ad minutas usque partes & divisiones de figuris agis,) repetente, tandem dignus editor Quinctiliani potuissem evadere: & fortasse etiam supra Belgas omnes peritus *artium* (id est, te indice, *oratoriarum* vel *rhetoricarum*, ut supples p. 114. n. 1. 124. n. 150. 222. n. 274. 236. n. 269. 343. n. 119. 462. n. 13. & alibi) ad ostentationem & gloriam Gentis Batavae jactari & praedicari potuissem. Sed quia obdurui jam, & alio curas meas converti, videamus an in Linguae Latinae mysteria a te induci possim; & Rhetoricas tuas notas, quibus omnes paginas onerasti, tandem, nam tibi molestus esse vereor, mittamus; jam enim me & lectores omnes, credo, taedium & odium earum capit, & quid in aliis *dictionibus & formulis loquendi*, quae non sunt *technicae*, explicandis praestiteris, paucis, sed illustribus, exemplis videamus, & te omnes, qui in *usum Delphini commentarios* scripserunt, *Minellios*, *Bondtios*, *Junckeros* & similes reip. Literariae Heroas longe superasse evincamus.

Quis enim, nisi monere nos non gravatus esses, ante te scivit, *calumniam*, esse *cavillationem*, & has voces promiscue usurpari, & vernacule dici *une pure chicane*, *une pure vetille*, nisi tu pag. 40. n. 166. 129. n. 55. 131. 90. & saepe alibi docuisses. Te indice noscet & grata memorabit posteritas, Sacerdotes, qui Romae saltabant, fuisse *Salios*, quos *Numa Pompilius instituit*, *& Marti consecravit* ex p. 78. n. 59. quod huc usque antiquitatis obscurissimae caput ignoravit *Rosinus*, & omnes, qui de antiquitatibus Romanis scripserunt.

Quantae tenebrae incubuissent adhuc Fabio, qui lib. II. cap. I. de Rhetorica & Grammatica, expressis utriusque nominibus agens, mox addit, *ut quae alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima*, nisi tu notas has addidisses n. 12. *Alterius*] *nempe τῆς Rhetoricae: Alterius*] *τῆς Grammaticae videlicet*.

Tardi & stupidi Batavi in verbis Fabii haerentes lib. II. cap. 5. *nec enim nos tarditatis natura damnavit*, credidissent ibi de loripedibus aut claudis agi, nisi Tu egregiam p. 63. hanc notam addidisses, *Tarditatis*] *supple ingenii*: jam te intelligo, Fabi.

Quis vero scivisset *quadrupedes* esse *equos*, nisi tu pag. 108. n. 24. docuisses: nam metus erat ne ex abditis adhuc gentibus, quales in America, cum primum aperiretur, narrant inventas, qui Hispanos quadrupedibus insidentes Centauros, ut olim Thessali, esse credebant, quidam legentes Fabii Institutiones de arte Oratoria, hic errarent.

Sed non minor tibi est naturalium & reconditarum scientiarum usus & prudentia: unde ex illarum mysteriis doces lectores *humorem* esse *aquam*. p. 149. n. 47. & jam tanto natu homo novisti tamen naturam a rerum principio usque docuis-

cuisse animalia citius homine *ingredi*, id est βαδίζειν, hoc est *pedibus*, non capite aut manibus, *incedere*, pag. 126. n. 40. nam & repere infantes cito posse ex Sphingis aenigmate noveras.

Deinde quis ex interioris Philosophiae recessibus petitae notae similem umquam in omnium criticorum Commentariis a renatis literis vidit, qualem exhibes pag. 428. n. ubi plerisque recentiorum Philosophorum, ais, *videri, τὸ binniens non tantum equi proprium, sed* essentialem, *ut* (*ajunt*) differentiam, specificam, *& maxime propriam*, & hinc probas Oratorum definitiones non semper exigi ad Dialecticam amussim. Sed & ipsas humani corporis partes, omnibus Anatomices Professoribus melius te nosse docent insignes quaedam notae, ut pag. 13. n. 107. ubi Fabius ait, *firmabit articulos.* Tu subintelligendum esse doces, *manuum aut digitorum*, ne quis Fabium de pedibus, quibus vellet pueros scribere, ut Gallinae solent, caperet. Et simili dexteritate obscura illa Fabii verba lib. VII. cap. X. pag. 460. *pars hominis est manus, ejus digiti*, illustri explanas nota: *ejus*] *nempe manus, digiti sunt pars*, ne quis ad τὸ *hominis* referret. pag. 77. n. 28. *Latera* esse *pectus* & *pulmones* doces, quod ego relinquo examinandum Anatomicis, nam quî praeceptis Fabii circa laterum gestus lib. XI. 3. convenire possit, vix invenio.

Nec Medicinae interioris te imperitum esse facile persuadebo lectori, qui *Valetudinem*, quotiescumque occurit, (quia per se *quandoque* significat *aegrotationem*, maxime apud Suetonium, quod ignoraverant adhuc Lexicographi & commentatores) *malam esse* discet ex pag. 89. n. 31. 125. n. 14. 128. n. 20. 130. n. 57. 348. 56. 460. n. 41. ubi hoc nos doces per illud verbum mirabile *supple*, & deinde tam memorabilem observationem toties repetitam, indici tuo inserere non dedignaris.

Mathematicae scientiae te esse callentissimum evincit observatio tua egregia, qua *pandum* esse *curvum*, *incurvum*, doces. pag. 382. n. 231. licet hoc in *Turnebi* & alterius sequenti nota jam esset significatum, & *Rollinus* tuus pag. 708. n. 413. *pandant, id est incurvant*, jam prodidisset.

Licet vero, (Theologus enim es) severam vitae sectam profitearis, a spectaculis tamen & θαυματοποιῶν (venia sit mihi tuo jam exemplo Graeca Latinis miscenti) prodigiis non abhorrere didici ex insigni illa nota pag. 118. n. 76. *ubi cum per funes ingredientes* intelligere *funambulos* Fabium *videri*, brevi nota indicassem, quia *Ascensius* male ceperat, Tu meam dissimulans, & tuae immiscens, ut Graecae eruditionis ostentatione ampliares, addis τὺς σχοινοβάτας, *qui videlicet* (ut Galluli etiam caperent) *per extentum funem cauti ac timidi incedunt*, intelligi pronuntias.

Eadem vero pagina n. 61. agentem de Iphigenia Fabium, *patris* sub voce occulte designari *Agamemnona* sollerter admodum & sagaciter deprehendisti, de quo ego non cogitasse videbar, qui Mythicae historiae scientiae laude tibi lubens cedo. Quare & minerval tibi debeo, quod pag. 127. n. 9. docueris *Busirim fuisse Aegypti tyrannum, qui homines ad aram immolare consueverat*, quod *Stephanus* in dictionario Poëtico forte neglexerat monere, sed *Morerius* Gallulos ignorare non est passus.

Pag.

Pag. 123. n. 127. nullus in tota, credo, Francia deprehendisset obscuritatem, & duas figuras simul concurrere in tribus vocibus, *simile tantum veri*, pag. 123. n 17. Tu vero, acutissimus Grammaticus & Rhetor unicus, animadvertis, 1. Esse positum pro *verisimile*, 2. esse τμῆσιν, dividentem voces duas, *veri* & *simile*, quae debuerant coalescere. 3. Esse anastrophen, quia debuisset dicere *veri tantum simile*.

Quid non Rhetorice designat? operta recludit,
Et nugas jubet esse ratas, & ditat inertes.

Artium denique omnium, quotquot olim trivio & quadrivio continebantur, & nunc in Academiis, scientiarum prolatis finibus, explicantur, te peritissimum varietas illa notarum incredibilis, quibus te penetrasse in ipsa arcana disciplinarum facile persuadebis, ostendit. Quis enim, nisi *Blondello* vestrate doctior, sciret, *Fabricam* esse *architecturam*, & subintelligendum esse *domorum?* quis *oeconomiam*, ideo curam rerum domesticarum esse, monente Fabio, appellatam, quia οἶκος est *domus*, & νέμω *dispenso*, *rego*, *curam gero*, ut tu graviter animadvertis pag. 149. n. 33.? Aliquando tamen ex summo illo artium sublimium fastigio te ad Grammaticorum iterum subsellia demittis, & sumpta ferula doces *Phalerea* & *Tydea* esse Graeca declinatione dictum, τύδεα *Tydea*, *pro* τοῖς *Phalereum* & *Tydeum* pag. 97. n. 173. & 187. n. 47. & Νιρέα dixisse *Nirea* Fabium, *loco* τοῦ *Nireum* pag. 188. n. 70. & pag. 730. n. 90. *Didonem* Latine, Graece *Dido* dicendum. Hae aevum ferent in Quinctilianum notae, nam quamdiu Latinae & Graecae linguae studium vigebit, Ludimagistri duplicem illam declinandi rationem, fortasse nunc ignoratam in Francia, in usu fuisse olim ex Capperonnerianis notis recordari poterunt. Quicquid enim dicant cavillatores & calumniatores (Gallice *les chicanneurs*) posteritas sciet, te Graece scivisse, & cum stupore leget in notis, tot Graecas *dictiones & loquendi formulas*, ex reconditis Artium (scilicet *oratoriarum & Rhetoricarum*) armariis depromptas, & numquam lectorem, etiam rudem morantes: nam semper Graeca Latinis; & utraque aliquando Gallicis verbis comitata incedunt. Horatium, ineptum illum studiorum, & bonae mentis arbitrum, quis jam non meliori jure rideat, quam ille lib. 1. sat. x. Lucilium perstrinxit, *quod verbis Graeca Latinis miscuit?* quis Ciceronis stomachum posthac feret, qui quaerit semper Latina vocabula, ne Graecis uti cogatur, & stulta excusatione utitur lib. XIII. ad Fam. 15. qua prudenter tu abstinuisti, Licentiate.

Juris Romani insignem prudentiam te prodere supra jam observavimus, & infra manifestius adhuc patebit: hîc tamen te non primis labiis eam disciplinam gustasse, sed inundatum fuisse ejus copia, & verborum Juris significationes, quae magna Jurisprudentiae pars est, ad unguem callere docent multae notae & in primis p. 227. n. 44. & 45. ubi *ambitus* crimen dicis esse, *ubi agitur de corruptis data pecunia suffragiis ad impetrandos honores*, *magistratus* &c. & *repetundarum*; supple *pecuniarum*, *quas Orator*, *aut alius quis magistratus a provincialibus aut sociis per fas & nefas extorsisset*. Has definitiones frustra Juris studiosus in *Brissonio*, *Calvino* & aliis lexicographis Juris quaeret: At quanto melius ego Jurisconsultus invenissem? certe *stipulationes* & alia obvia te nova luce perfudis-

dixisse jam vidimus. Sed haec vulgaria & alia, quae JCti possent vocare *brocardica*, multi sciunt, in judiciis magis, quam in libris juris versati: at quam pauci hodie JCti supersunt, qui antiqua juris vocabula & ritus rimantes, norunt, *semissem* esse *dimidiam hereditatis partem*, *quia tota hereditas as vocatur*, *& hinc heres ex asse est*, *qui solus heres est*, ut tu ipsos Papinianos & Ulpianos doces pag. 416. n. 230. neque tamen hoc probare dignaris: quare ergo non transtulisti hunc in locum illud αὐτ῀ εἴφα, quod ex nota mea pag. 607. n. 374. expunxisti, cum tamen graviorem meam censuram reliqueris pag. 732. n. 14. Cum vero libri IV. caput 2. notis tuis illustratum perlegerem, erubui, fateor, caecitatem meam, quae prohibuit ne animadverterem, Fabium toties in hoc capite & alibi usum fuisse voce *exponere* pro τῷ *narrare*, & *expositione* pro *narratione*, quod tibi, omnia obscura rimanti, toties explicatu dignum est visum, ut pag. 203. n. 16. 217. n. 130. 224. n. 310. 226. n. 16. 228. n. 62. 230. n. 138. 231. n. 156. 233. n. 201. 236. n. 283. 238. n. 10. 239. n. 337. & 343. & 356. (id est ter eadem pagina) 240. n. 372. 243. n. 363. 244. n. 492. 249. n. 611. 251. n. 20. 253. n. 11. 360. n. 240. 378. n. 153. 461. n. 51. & 54. 588. n. 12. 702. n. 221. 704. n. 317. & fortasse multis a me non animadversis locis.

Notabile vero (eo sensu quo tu p. 482. n. 100. explicas) est, in plurimis te notis adjicere, *ut patet ex notis lib.* IV. *cap.* 2. sed non addere numeros, quibus notas te distinxisse magnifice in praefatione jactas, ad quas remittis. Quis enim in tam longo capite, quod notas numero 619. continet, id invenire poterit, cum in toto illo capite te tantum quinquies & decies hoc docuisse deprehenderim. Quid non diligentia tua inusitata & rara meretur? certe ut cum *Gorallo* tuo, magna mercede a Regibus & principibus conducamini, qui reliquos auctores Latinos notis illustretis, cum jam sordeant & jaceant in usum Delphini commentatores; nam & ille simili plane doctrinae excellentia praeditus, ad Albinovani in Drusum Elegiam vers. 38. *referre* exposuerat per *narrare*, & tamen, quod ipsi sollemne erat, errorem pudendum in tam facilis verbi expositione commiserat, ut a Spudaeo monitus meliora discere potest. Sed tu cautior esse soles, nec in mysteria irrumpere soles, sed amas vulgatissima, & in omnibus Lexicis obvia, quae ter quaterve, immo vicies, tricies, &c. *exponere*, id est, *narrare* eodem, quo ante te natum mille alii fecerunt, modo, magnificum & unicum commentarii tui ornamentum esse putas. Hoc etiam callido commento tibi caves a puerilibus in ignotarum vocum expositione erroribus, quas relinquis antiquariis, & qui in Rhetorica arcana non penetrarunt.

Pag. 325. n. 64. absconditam, scilicet, & paucis auditam locutionem, *pedem conferre*, explicas per *pugnare*, *confligere*, *impugnare*, *metaphora ducta a proeliis, quibus haeret pes pedi*, ut Virgil. x. Aen. 361. ait: secutus *Stephanum* tuum, qui hunc Fabri locum bis in voce *conferre*, & semel in *Pes* retulerat. Fidus enim tibi *Stephanus*, aeque ac *Gorallo* est promus condus: nam ex illo admirabilem etiam illam expositionem hausisse patet pag. 329. n. 153. *loca sola* esse, *vulgo solitaria & deserta*, quod unico Sallustii ex Jugurtha, sine capitis designatione, exemplo, ut & fecerat *Stephanus*, quem exscribis, probas, cum vel viginti alia tibi lectio veterum suppeditare potuisset: nihil enim magis obvium. Sed cur non

ſimilibus notis adjicis clauſulam illam, quam habes, pag. 340. n. 100. *notius eſt quam ut probare jam oporteat?* An pudebat tralatitiarum notarum, quarum innumerum numerum congeris in ſingulas paginas: ſane potuiſſes illa formula honeſtiſſima, & viris magnis etiam uſitata, millies uti. ut pag. 353. *componere* id eſt *ſedare*, *lenire*, *mitigare*. Sic apud Virg. 1. Aeneid. *motos praeſtat componere fluctus*, & haec etiam *Stephanus*, & quis non? notaverat.

Quam vero nullae ſalebrae te morentur oſtendis pag 361. n. 2. ubi cum dixiſſet Fabius, *opus ſuperet* &c. *MOVENDI judicum animos*, Tu, qui hîc aquam haeſuram omnibus eruditis credebas, adjicis. *Hoc gerundium*, *quod genitivi formam habet*, *regitur a praecedenti nominativo τῷ* opus, *ſecundum hunc ſyntaxeos ordinem*, *opus movendi animos judicum*. Quis non quinquatribus nomen tuum celebraret, & ſi es in turba, quos cenſu fraudavit fortuna, ludimagiſtrorum, duplex tibi minerval cum corollario penderet?

Pag. 365. n. 70. memor *impotentiae* ſaepe apud judices veſtros maritos reos peragi, mones populares tuos, *impotentiam* etiam eſſe *immoderatam potentiam*, quae ſuperbum quempiam & caeteris intolerabilem efficiat, & probas duobus e Cicerone & Suetonio locis, non adſcriptis etiam capitibus, ut & *Stephanus* tuus, apud quem eadem duo loca juxta ſe poſita exhibentur, fecerat, & ſimili fere modo definierat.

Pag. 381. n. 216. Horribilis in ſecreti conſcientiam lectores tuos vocas, enuntians, ut vates, qui *quae ſint*, *quae fuerint*, *quae mox ventura trahantur* noviſti, *nomen apud veteres Philologos* (quod notandum, ne & Juriſconſultos aut alios id facere credamus) *ὄνομα*, *ſive nomen*, *peculiari quodam ſenſu uſurpari de nomine proprio*, & ideo quoties *nomen*, hoc ſenſu raro & abſtruſo, occurrit, eſſe ſubintelligendum, *τὸ proprium*, & idem, ne *excidat* (id eſt, ne obliviſcantur lectores, ut doces pag. 80. n. 27. 686 n. 52. 209. n. 471. poſt mea ad Declam VI. cap. 19.) diverſis notarum tuarum locis repetis: ut pag. 30. n. 127. 31. n. 130. 455. n. 9 520. n. 166. (operoſe totam paginam fere implens hac tam mirae raritatis obſervatione) 525. n. 244. 592. n. 98. Jam certe doctus lector non confundet poſthac *nomen*, partem orationis in Grammatica dictam, nec *nomen* pro debito, ut docte explicas. p. 314 n. 166. nec cum pluribus aliis, quae *τὸ nomen* notat, rebus, & quas *Stephanus* liberaliter in omnium uſum expoſuit. Quam ardet animus *cupiditate* Theſaurum iſtum *Stephani*, quem te editurum & auctum tam benigne promittis, *videndi* (nota, hoc gerundium regi a praecedente *τῷ cupiditate*) quot nova & indicta aliis inde diſcemus nos Boreales Grammatici? At quis ante editum illum Theſaurum, etiam felici & tenui illo ſub aëre natus, divinare potuiſſet, ſenſum verum Quinctiliani. pag. 394. ubi *Urbanitatem eſſe propriam noſtrae civitatis* ait; Tu vero addis, *eam intelligi coeptam*, *poſtquam Urbis appellationem*, *etiamſi nomen proprium non adjiceretur*, *Romam tamen accipi ſit receptum*. Quis diſtinguere inter *nomen*, & *appellationem* non ſolitus, non exultaſſet gaudio, ubi tam obſcurae voci, *τῷ noſtrae*, adſcribi hanc explanationem vidiſſet, *noſtrae*] *Romanae videlicet*, & illuſtrari exemplo Athenarum, quae ἄϛυ κατ' ἐξοχὴν vocari ſolebant: & quis a te exigere, niſi moleſtus & importunus flagitator, auſus fuiſſet, ut miſere iterum haerentem philologum pag. 471. n. 18. in appellatione

Ur-

Urbis expedires, in duas voculas contracta notula, *Romae videlicet.* ô Delio natatore felicior, & nobis utilior, sine quo in hoc auctore σκοτίνῳ suffocaremur.

Ne quis vero dubitaret, an, sicut *famosus* olim notaret *infamem*, & hodie a multis Gallulis etiam pro *celebri* sumatur, ita etiam *ignominiosus* posset in utramque partem interpretari, Tu praecaves sapienter huic errori pag. 406. n. 20. & cum ego nihil nisi variare codices in τῷ *&* notaveram, Tu adjicis graviter & Aristarchi quodam supercilio, *dicitur autem ignominiosus, qui aliqua publice notatus est infamia*, quam definitionem etiam *Stephano* tuo quidem debes; sed ne videaris illum semper expilare, ipsi exempla aliorum scriptorum, quae profert, reliquisti, tua contentus enuntiatione & oraculo.

Pag. 400. n. 87. quia obvius & omnibus lexicis notatus erat usus verbi *committere*, de illis, qui contra leges & edicta peccant, remiseram ego lectorem ad *Cael. Calcagn.* lib. XIII. Ep. I. sed gratias tibi debeo, quod jejunitatem meam expleveris, & pag. 406. n. 23. ex Varrone locupletaveris hanc observationem, quam ego in *Stephano* non animadverteram, & simul mihi exciderat (id est oblitus eram) *Turnebum* pag. 440. n. 92. Ed. tuae similia jam observasse, ita ut uterque plagii accusari possemus; sed, tu, quia Varronis locum, sine capite ex *Stephano* petiisti, in hac caussa victorem jure pronuntiari a Praecone mereris.

Conjectorem te optimum & oraculorum (non dico, quae Christianis pro oraculis habentur; nam an ea intelligas nescio) veterum unicum interpretem, qui sine ullo capitis ex longa meditatione dolore, deprehendisti verum sensum illius Oraculi, nulli ante hunc diem intellecti,

Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse.

Quod Fabius lib. VII. cap. 9. Amphiboliae (pene dixeram *amphibologiae*, quo nomine me, *Turnebum* & nescio quos communem errorem, quem grati te correxisse agnoscimus, secutos tam acerbe castigas) exemplum producit: esse videlicet doces, magne vates, & redivive Calchas, sitam in eo *obscuritatem, quod nescias, utrum Pyrrhus oriundus ab Aeaco Romanos victurus sit, an Romani Pyrrhum oriundum ab Aeaco victuri sint.* Quam notam dum scriberes, si memor fuisses notae tuae, qua me reprehendis, pag. 387. n 312. resecuisses quinque otiosa & odiosa periodi tuae verba: nam Parisiensis Professor, in media natus urbanitate & facetia, & qui ab ineunte aetate te *ad facetum & urbanum dicendi genus appulisti*, fateberis, credo, mecum *geminatorum* τῷ, oriundum ab Aeaco victuri sint, *ellipsim potius quam pleonasmum hisce locutionibus* convenire, ut tua tibi verba reddam.

Caeterum (liceat pace tua, centies tibi usitatâ voculâ, semel hic uti) te non esse κεvvοχυτρολήκυθιον, nec has notas in basilicis, porticibus aut viridariis, ubi otiosi quotidie Lutetiae sedent de rebus gravissimis disputantes assidui & urbani cives, didicisse, sed ex Graecis ab Aldo, & Latinis a Pithoeo editis Rhetoribus, & Figuras & Tropos tibi semper obversari animo indicio est profundae mentis capacitatem exhauriens illa nota pag. 479. n. 15. ubi Parei notae addis, CAETERUM *hic* (NB. non *alibi*) τὸ *ferrum est gladius, ensis ex ferro &c.* Sed cur nobis invides nomen tropi aut figurae, quod nunc in aeternum

ignorare cogemur, per tuum illud silentium &, in tam momentosa nota, chartae parcimoniam. Sed abripior tot egregiarum notarum recensione, ex quibus si nos stupidi & hebetes Batavi nondum Fabii mentem percipere poterimus, est quod crasso adscribamus coelo, quod nobis incumbit, sed aeternas tibi gratias debebunt subtili illo & tenui sub aëre viventes Galluli, qui tuo ingenio statuam ponent, & inter omnes in Usum Delphini commentatores familiam te ducere memori mente praedicabunt. Supersunt multa, sed exhaurire horreum, & satiatos tot ferculis lectores, ne postea tam lautas dapes fastidiant, ad bellaria reliqua esse invitandos existimo.

Cap. X.

De notis inutilibus, & ex sola obtrectandi & obloquendi libidine natis.

CErtissimus mihi *Pedantismi* (venia sit semel verbo huic, quo in tui *nota*, id est, *charactere* ingenii uti cogor) & Scholasticae arrogantiae character esse videtur, semper oblatrandi alterius scriptis libido & prurigo. Quae in te & editis in Fabium notis tam manifeste ubique elucet, ut hunc unum laboris omnis finem esse non dissimules, nec me & mea si quae sunt, in rempb. literarum, merita detrectandi ullam occasionem amittas. Facile paterer me in ordinem cogi, praecipue cum *Scaligeris*, *Budaeis*, *Muretis*, *Casaubonis*, ne dicam Fabii peculiaribus interpretibus, aggregatum me videam; sed cum numquam ipse mihi tantum sumserim, ut, licet modeste hîc & illic errores quosdam doctorum reprehenderim, totum librum conscriberem, quo infamia aliquem unum, qui in literis nomen & decus aliquod gesserit, onerarem & obruerem, ita nec tolerandum puto, novitium quemdam Paedagogum ferulam aut mihi, aut aliis, quos laude dignos credo, intentare. Quare hoc capite loca quaedam recensere decrevi, quae ex sola hac libidine carpendi & detrectandi aliena, tibi natas exhibebunt adnotationes. Non fatigabo lectores enumerando infinita loca, quibus meis notis tria vel quatuor saepe verba apposuisti, vel carpendi & refellendi caussa, cum tamen nec argumenta, nec codices, nec exempla ex aliis scriptoribus adducas, quibus sententiam tuam firmes, &, licet re vera me sequaris, & emendationes etiam meas exprimas in textu, tamen videri vis te sequi editiones aut Stephani, aut Vascosani, aut codices, quorum varietates a me solo didicisti, nec tamen dignaris me nominare; hoc enim in beneficii loco reputo, quia multae jam mihi emendationes suspectae esse & displicere coeperunt, ex quo tuum calculum tulerunt? neque etiam operose versabor in excutiendis ineptis & ad Quinctilianum nihil pertinentibus censuris, quas notis, praeter omnem morem & decorum, inseris, ut in Grammaticam *Despauterii*, nobis incognitam fere, & in Gallia sola, sed invitis doctioribus, apud ludimagistros retentam. Ut pag. 494. n. 301. 579. n. 263. 605. n. 336. quales notae so-

ſolae ſufficerent ad *Pedantiſmi* principatum in te conferendum. Neque etiam ubi verſiones ſaepe *Galeo*, quem *Gallaeum* inepte vocas, attributas Mythologicorum, ut pag. 628. n. 195. & alibi, aut etiam *Abbatis de Pure*, aut *Gedoyni*, qui has inſtitutiones Gallice verterunt, errores caſtigas. Haec & ſimilia praeterire hodie eſt animus. Sed de illis locis agemus, ubi praeſtare te Philologum & Criticum debueras, & haerentes non tantum lectores, ſed ipſos interpretes expedire, ſed quae tu, contentus illis te oblocutum eſſe, relinquis intacta & inexplicata, aut ſi cogaris laudare, pauca, malevoli animi indicia, verba, quae invidia & obtrectatio ſuggerit, adjicere ſoles, ut nulla pagina ſine nominis *Capperonneriani* nota decurrat.

Pag. 21. n. 184. de Soloeciſmi generibus lib. I. cap. V. agens pro exemplo poſuit inter alia Fabius *ne hoc fecit*, qui detractione fit. Moſellanus detractum τὸ *quidem* credit, pro plena locutione, *ne hoc quidem fecit*, quod non placebat, quia nullus ibi ſoloeciſmus, ſed ellipſis τȣ̃ *quidem* poſſet fingi, quae inter ſoloeciſmorum ſpecies a nemine refertur: quare ego *me hoc fecit*, pro *de me* legebam, ubi ſoloeciſmus eſt, deficiente praepoſitione. Et exempla reliqua probant agere Fabium de praepoſitionibus detractis, unde ſoloeciſmus oritur. Tu nihil mutas, ſed Fabium notas de induſtria *ne hoc fecit* ſcripſiſſe, pro *an ne hoc fecit*: tantum ne in meam deſcenderes ſententiam. Sed quam inepta haec nota; quis enim umquam in tali ellipſi ſoloeciſmum invenit? Quis etiam ita locutus eſt *ne hoc fecit?* pro *anne hoc fecit?* nam locutio ſoloeca non debet fingi, qua nemo uſus eſt, ſed quae eſt in ore populi & vulgata. Ut *ambulo viam*, pro per viam, *Aegypto venio*, pro ab Aegypto. *Me hoc fecit*, pro *de me hoc fecit*. An ſentis jam male tibi cedere obloquendi proterviam?

Pag. 86. Ed. meae. Ego ſecutus omnes, ante me, quod ſciam, editores edidi, *& inmunis, illud n, quod veritas exigit, ſequentis ſyllabae ſono victum, m gemina commutatum:* nihil etiam variare codices notaveram. Tu pag. 56. n. 18. nemine priorum editorum notato, in me irruis, qui ſilentio ſecutus eram alios & nihil de meo addideram; ſcribendum vero tu, ſine ulla MS. auctoritate, jubes non modo in notis, ſed in textum ipſum recipis, *& in immunis*, quia ipſa ſeries contextus id requirit, & Priſciani locus, quem mox affers. Sed I. Priſciani locus inepte adducitur ad probandam correctionem tuam, nam tantum efficit, *n* mutari in compoſitis in *m*, & alias literas, naturali vocis ratione propter celeriorem motum linguae &c. de quo nulla eſt controverſia, & aeque verum eſt, ſive legas, *& inmunis* ſive *& in immunis.* ideoque abſurde huc advocatur ejus auctoritas. Sed probandum erat legendum eſſe, *& in immunis.* quare altera ratio eſſet verior, quae probaretur ex ſerie contextus, ſive verborum praecedentium, cum quibus per particulam *&* connectatur haec periodus. In praecedenti vero erat, *cum dico optinuit* &c. Deinde pergit *Et* (ſcil. *cum dico*) *inmunis*, *illud n.* &c. an non ſic optime cohaerent omnia? Cur ergo hic figuras tuas non advocaſti? cur illa ἀπὸ τȣ̃ κοινȣ̃, vel ζεῦγμα non meminiſti hîc oſtentare, ut ineptiſſime facis centum in locis, & in primis pag. 95. n. 126. ubi ego quale ζεῦγμα ſit, videre non poſſum. Praeterea pro *inmunis* edidiſti inſcite admodum *immunis*: nam vox illa deberet primo proponi ut originis ratio, & ve-

ritas exigebat, quam *immunis*, litera *n* in *m*. mutata, dicit pronuntiari. Si enim tu *immunis* voluisses praeferre, debueras & in priore exemplo *optinuit* edere, cum tamen dederis *obtinuit*, quare nos secuti meliores, & ipsam rationem, te obloqui & obtrectare facile patimur.

Pag. 129. n. 43. ubi agitur de Aristotelis libro, qui inscribitur *Gryllus*, quem recte Turnebus & alii a Gryllo Xenophontis filio dictum opinantur, ego rejeceram lectorem ad Diog. Laert. II. Sect. 55. & *Menagium* ejus interpretem, qui & ibi & ad lib. V. Sect. 22. id docuerat. Et haec fuit huc usque omnium eruditorum sententia, quam qui convellere cupit, producere debet argumenta egregia & firma; nisi ridiculus obtrectator audire velit. Tu quid profers nisi, *FORTE opus illud adversus Rhetoricam conscriptum inscripserat Aristoteles, quia Gryllus est animal, magnitudine cicadae, corpore longiore, pernicies agrorum* (Plin. lib. XXVI. cap. 6.) *& hinc animalculo Rhetores comparabat Aristoteles.* Per illud *Forte*, videri vis novae opinionis auctor, sed Lexicographos te decepisse puto. Nam video in Thesauro Fabri. *Grylli nomine dialogum scripsit Plutarchus. Est & Aristotelis Gryllus, cujus meminit Quinctil.* II. 17. hinc Tu arripuisti hanc tuam suspicionem. Sed non dicitur ibi a Gryllo ave hoc esse Aristotelis opus cognominatum. praeterea suspicor te alium secutum, quia in Plinii loco, quem adducis, nihil simile de Gryllo occurrit, & tu forte perperam citantem es secutus. Nam lib. XXIX. cap. 6. sive ultimo, mentionem quidem *Grylli* facit, sed descriptio illius avis, quam tu adducis, ibi non legitur, nec in toto Plinio, sed eam ex Stephani Thesauro exscripsisti. cur non potius etymon duxisti a *Gryllo*? quo nomine jocosae picturae genus dicebatur, auctore eodem Plinio, & unde Germanicum & Belgicum *Grillen*, id est, fatuae nugae, deducuntur, quo titulo notas tuas in Fabium potuisses inscribere, quia abstinere ab ineptiis non potes.

Pag. 180. n. 452. ubi meam notam a tua non distinguis, sed in unum confundis, lector, te in eadem nota diversas sententias proponentem mirabitur, & variam simul doctrinam stupebit, ausumque te obloqui viris eruditissimis, quorum forte scripta numquam legisti. Ego Amplissimi *Bynckers hoekii*, Praesidis supremae in Hollandia curiae, sententiam laudaveram, qua a Romanorum legibus removerat saevitiam illam secandi corporis debitorum, qui solvendo non erant. Tu quaeso, qui semper oblatrare soles, quo argumentorum pondere, qua auctoritate refutas? Auli Gellii & Tertulliani, quos nemo non in hanc rem adtulit olim, neque neglexerat Vir amplissimus, sed & explicaverat eruditissime. Quare etiam, si tibi aliter viderentur eorum loca explicanda, novis rationibus debueras asserere communem opinionem; sed refutare novam tibi visam sententiam, & praeter loca decantata eorumque nuda verba, quae excussa jam sunt, nihil adferre, deinde obtrectare egregiis & principibus viris, & vulgata ex praejudicatis opinionibus argumenta, & numquam ad examen revocata, objicere illis, qui inveteratas sententias explodunt, est pertinaciae indoctissimae certissimum argumentum.

Sed ne solis apud nos viris illustribus & doctrinae laude florentibus obtrectare videaris, non parcis popularibus etiam famam pristinam eruditionis vindicantibus. Nam ad lib. VIII. cap. 5. in fin. exponens usitatam & nulli lexicographo igno-

ignoratam verbi *reddere* pro exponere, explicare, significationem, ut ostenderes Graecae linguae peritiam singularem, id ex Graeco verbo ἀποδιδόναι deductum docens, in *doctissimum alioquin* (id est, si a Graecis literis discedas) *interpretem Eusebii Caesariensis commentarii in Psalmos*, (id est *Bern. Montfauconium*) stylum stringis, qui hoc verbum per *dare*, non *reddere* vertit. Sed quam plumbeo gladio eum confodias, ipse vindex doctissimus scriptorum suorum facile posset ostendere, nos vero lectorem tantum docebimus, tria illa veterum loca, ex Platone duo, & ex Themistio unum, quibus solis uteris, te furatum esse ex Stephani Thesauro Graecae linguae, qui & Budaeum laudat, & multo doctius de hoc verbo disputat. Ex duobus Latinis exemplis e Cicerone & Plinio, alterum Stephanus in Thesauro Latino tibi suppeditavit: vide quam facilis tibi sit labor notas exstruere, & alios carpere. Potuisses augere tuam notam ex Salmasii Exerc. Plinian. pag 4. Ed. Ultr. sed cur non addidisti, *reddere* esse *narrare*, quo tu toties *exponere* notari nos docuisti? quia scilicet id omnia lexica habent, & locus Horatii a te adductus II. Sat. VIII. a te exponi debuisset aliter.

Pag. 361. n. 12. cum sensus non constet, quem ego unica modo litera expuncta, pro *rarius*, *rarus* legendo, apertum feceram, Tu, qui saepissime audaces admodum conjecturas aliorum in contextum inseris, hîc ut mihi obloquaris, septem codices bibliothecae Regiae & quatuor Colbertinae (quos nusquam fere adducis) te consuluisse & ipsum etiam Londinense Oraculum, cui praesidet *Maittairus* tuus, adiisse jactas, ut me scilicet unicam literulam ejicentem, refutares; sed vellem simul tolerabilem sensum loco conciliasses, & exemplum produxisses similis locutionis huic, *qui judicem rapere &c. posset*, *rarius fuit.* hoc erat agendum: sed recurris ad, nescio quas, ellipses tuas, &, ut Syntaxeos ratio, quam ipse constare negas, posset reddi, censes suppleri posse, *rarius fuit Oratorem invenire.* Sed unde illa duo ultima verba repetis? cum nec in antecedentibus reperiantur, nec ulli sano persuaderi possit, tales unquam fuisse admissas ellipses. Miseret me tui, Capperonneri, qui ut futilem notam, qua me impugnares, ex arida critici ingenii vena exprimeres, tot movisti fluctus.

Pag. 370 n. 15. ubi legendum conjiciebam de Cicerone, *minus objectus jocis calumniantium foret*, cum nihil adducas, quo meliorem lectionem te proferre posse doceas, obgannis hac exclamatione, *quis umquam fando audivit calumniantium jocos?* At si legisses *And. Schotti* libellum, quo Ciceronem a Calumniis vindicat, qui nunc novae editioni Amstelodamensi est additus, magnam copiam jocorum a calumniantibus jactorum, praesertim in ejus dicacitatem, de qua hîc agit Fabius, reperisses. ut Catonis, *quam ridiculum Consulem habemus?* & aliorum, quibus, *consularis scurra*, *veles consularis* appellabatur, quae cap. 5. & 6. recenset. An hi joci non erant Calumniae? Aut an Calumniatores non solebant in Ciceronem jocari? Sic eodem jure apud Phaedrum lib. III. cap. 8. *gloriantis jocos* posses rejicere, & exclamare quis umquam audivit *gloriantium jocos?* & prolog. lib. II. *narrantis jocum.* Sed an producere tibi cogar locum aliquem, ubi *jocus calumniantis* totidem verbis occurrit? Hoc modo si agatur cum literis, periimus. nam si sensui communi, si rationi linguae Latinae non repugnat locutio, credo satis factum esse cordatis; fatui vero plus exigere semper poterunt, quam sapientes prae-

praestare. Sic *Clericus* tuus exigebat olim a *Perizonio* ut probaret, recte dici *virtutem virium*; sed vide quid responderit in Curtio Vindicato pag. 64. & praecipue p. 71. Inhumanum ergo est, ubi ratio constat, semper similia aliorum scriptorum loca exigere, quae vel non exstant, vel a nobis, minime credentibus controversias de his posse moveri, non sunt adnotata. Te vero hoc exigere intolerandum, qui fere semper sine ulla auctoritate Lectiones tibi placitas in Fabio recipere soles. nam dic, quaeso, exemplum locutionis, quam contra me, ne uno quidem loco aut argumento producto, defendis pag. 399. n. 44. *quidam faciunt aperte*, *quod rixemur*, pro, *ut rixemur*, quod ego adstruxi exemplis ad lib. IV. Prooem. proba quaeso, *malorum exercitationem* esse, in rebus malis exercitationem, ut explicas pag. 93. n. 69. si hoc modo grassari in tuas notas vellem, quot non *dictiones & formulas loquendi*, quibus sensus & Latinitas non constat, tibi objicerem. Proba, dici Latine *causam omnibus circumstantiis vestitam*, nisi apud Gallos vernacule loquentes p. 95. n. 113. doce, eleganter dici ad *militaris disciplinae regulas mutare*. ut tu p. 114. n. 15. & infinita, quae in notis tuis occurrunt.

Similis fere est altera obtrectatio pag. 395. n. 436. ubi legitur *risus erunt*, *quicumque haec faciet orator*: ex quibus si quis sensum exsculpat, & exemplum locutionis, *orator*, *quicumque haec faciet*, *erunt risus*, id est, *excitabit* risum, proferre queat, ego vadimonium deferam. Saltem Fabius dixisset, *quotiescumque haec faciet orator*, *risus* (audientium) *erunt*. Ego molli manu locum tractaveram, & legebam, *qui in sermonibus*, *circulis* &c. *ridicule commodeque dicet*; *visus erit*, *quicunque haec faciet*, *orator*. Non eo sensu, ut tu malitiose detorques, ut quicumque facete dicat, is protinus *sit* orator, sed ut *videri possit* orator; nam alterum nec Fabius nec ego admittimus, qui plus urbanitate & facetiis in oratore requiri novimus. Fraudem ergo nectis, Theologe, lectoribus, aut eos stipites esse, qui tibi confidenter affirmanti credent, ne excussis quidem verbis meis, tibi fingis. Nec *jocos* substitui a criticis τῷ *locis* novum est, & tu ipse in Regio approbasti pag. 385. n. 283. ubi, pro *quale sit verissime loci*, *quae* jussisti etiam edi sine sensu commodo.

Risi vero affatim, ubi pag. 398. n. 43. longae meae notae, qua desperato loco medicinam facere tentaveram, non tamen obtrudens pro imperio mea dictata, aut in textu aliquid mutans, tuam subjectam vidi, qua nihil eorum, quae adduxi, refellis, sed necessariam emendationem non esse dicis, quia Fabri verba, *alioqui tacendum est saepe*, *& aliis subjicientibus plerumque studio loquendi fatue modo accedendum*, ita possunt construi, *alioqui tacendum est saepe*, *& solummodo assentiendum* (ita saltem probas meam τῦ *accedere* explicationem) *fatue est aliis subjicientibus*, *idque prae nimio nostro loquendi studio*. Appello omnes Grammaticos, Ludimagistros, Criticos, & qui modo Latine sciunt, an ullum exemplum similis verborum collocationis norunt; quae in naturalem ordinem ita possent redigi: si servato ordine distinxisses, quod postea mihi in mentem venit, *aliis subjicientibus plerumque studio loquendi*, *fatue modo accedendum*, aliquid communis sensus ostendisses, & tunc *credulitate* servari potuisset. Sed nunc ineptire maluisti, quam mihi non obloqui.

Pag. 460. n. 37. Regii sententiam, qui *similare* & *adsimilare* Latinum non esset contenderat, confirmaveram, & *simulare* docueram esse scribendum. Tu obgannis,

nis dicisque hujusmodi controversiam non majoris esse momenti, quam illam, utrum *optimus maximus*, an *optumus maxumus* sit scribendum. Egregie vero & docte! Si legisses summi *Gronovii* Diatribes Stat. cap. 6. discere potuisses *simulare*, de picturis & statuis dici, eodem modo ut *mentiri*, *fingere*, *imitari*, nec a *similis* posse verbum hoc derivari, sed illa *similare*, *adsimilare*, *similacra* esse novae & malae formae verba & sanctae antiquitati ignorata, sed furcillis ex Latio ejicienda. Possem tibi, si a Germano discere velles, patronum tuae inscientiae dare, *Barthium*, sed nunc non vacat ejus scripta, in quibus bis terve hoc egit, evolvere.

Pag. 484. n. 139. lib. VIII. cap. 3. obloquendi Cl. *Obrechto*, & mihi, eum secuto, studio, inanibus verbis imples notam, & Leidensis editionis (cui me addictum fuisse toties calumniatus es) ineptam lectionem & distinctionem, unde nullus sensus oritur, defendis. Verba Fabii sunt, *satis est vetus quaeso*, *quid necesse est dicere oppido*, *quo sunt usi superiores &c.* Tu edis & distinguis, *satis est vetus* Quaeso: *quid necesse est dicere?* Oppido, *quo sunt usi &c. superiores*, *vereor ut jam non ferat quisquam.* Quasi de antiquato verbo *quaeso*, unde *quaesere*, pro quo nunc *quaerere*, & deinde nova in periodo de τῷ *oppido* agat. Sed primum rogo te & conscientiam tuam, an tam ineptum credas Fabium, ut si de τῷ *quaeso* egisset, non aliud ab usu longe remotius verbum addidisset idem significans post τὸ *dicere*, cum nunc sensus sit imperfectus in illis *quid necesse est dicere?* sed quia tu ignoras antiquius τῷ *quaeso* verbum, maluisti sensum fatuum relinquere, quem supplere non poteras. Cum sit egregius & perfectus in mea & Obrechti lectione, nim. *satis* non esse recens vocabulum, sed vetus, nec tamen ex illo genere antiquorum vocabulorum, quae ex ultimis repetita tenebris nunc iterum in usum revocantur; ideoque antiquarios esse & affectatores sermonis obsoleti, qui *oppido* pro *satis* nunc ambitiose amant uti. Sed non percepisti veram Fabii mentem, nec meam expositionem, nam *satis* non in his verbis communi significatione pro *abunde* debet capi, sed pro *valde*, ut apud Tibull. II. VII. 35.

Tunc tibi lena precor diras, satis anxia vivas:

Ubi post *Fruterium*, multis id exemplis probare *Broukhusium* videre poteris, si tibi ullus talium scriptorum usus est. Jam ergo dicit Fabius, si pro *valde*, liceat dicere antiquorum more *satis*, quid opus est *oppido* in usum revocare, ut quidam paullulum tempore Fabii superiores fecerunt? Sed has Latinorum vocabulorum vires & usus cum ignores, audes tamen confidenter affirmare, *nihil horum in* satis *cadere*, *cui nemo umquam vetustatem ullam potuit objicere.* Non objicit vetustatem Fabius, sed ea significatione qua *oppido*, id est, pro *valde*, satis vetus esse, & simul retinendum in usu esse contendit vocabulum, & inepta affectatione ipsi, in significatu τοῦ *valde*, supponi *oppido* antiquatum. Nec post hanc puerilem criminationem cessare potes ab altera, qua in nota mea censes *illud incommodi* (scilicet ignorantibus Latine sermonis usum) *occurrere*, *quod particulam* sed *intra sex fere linearum* (elegantius dicerent alii *versuum*) *spatium quinquies usurparim.* Gaudeo non tuo arbitrio de Latinitate pronuntiaturos ejus peritos, sed aliis Aristarchis potius acquieturos. Si dignaris respicere notam meam ad Declamat. CCLII. videbis me aliis magistris usum, *Heinsio*, & *Gronovio*;

vio; & si brevem advocationem liceat impetrare, ad Ovidii v. Met. 17. & 705. plena manu tibi alia exempla largiri potero, ex quibus docearis illas repetitiones non ita incommodas videri. Sed tu, acerbe & dure censor, qui ubique tam acute cernis in mea vitia, cur non aliis te carpendi eripis causam, & abstines a vocibus & locutionibus plane illatinis & Barbaris; ut *dictio* pro una voce, *imperatrix*, *dualis*, *seducere*, *praecise*, *male facta scriptio*, *dependenter ab illo*, *memoriter ediscere*, *majestatis laesae crimen*, *negotiari mercem*, & mille aliis, quae in notis occurrunt, ut omittam scholasticas & sordidas, quas tu *technicas* vocabis voces: *realis*, *formalia verba*, &c. Neque juvare potest invalidum huic veneno alexipharmacum, quod formulas illas, ut *ajunt*, *vulgo* &c. saepe adfingas.

Pag. 515. n. 60. *Gallaeo*, mihi, & ipsi *Rollino*, ad quem olim notas direxisti, obloqui non dubitas, qui se non videre metaphoram, ab animali ad inanima, in Virgilii verbis, *sedet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor*, dixerant. Tu perspicacior nobis eam invenis in voce *vertex*, quam proprie, id est, origine & prima significatione, statuis de capite humano dici, & hinc per metaphoram de montis cacumine. Atqui, ô bone, cur dissimulas & me idem notasse, & in fine notae haec verba subjecisse? *An in* vertice *latet?* sed ne adfirmarem, Fabius ipse fuit auctor, qui lib. VIII. 2. *Verticem proprie* esse *contortam in se aquam*, & *inde* (id est per metaphoram) *esse partem summam capitis propter flexum capillorum*, & *ex hoc in montibus eminentissimum.* Unde & vides inane & Grammatici acuminis esse Velii Longi discrimen inter *vorticem* & *verticem*, quod meliori jure comparasses diverso scribendi modo in *optimus* & *optumus* &c. non enim agit ille de significatione propria & translata, sed de orthographia duarum, diversa significantium, vocum. Hoc me retinuit, qui contentus tibi indicare suspicionem meam, & viam monstrare, merebar μήνυτρον, non vero censoriam notam.

Pag. 578. n. 254. credebam me obscurissimo loco aliquam affudisse lucem, quae oculos tuos quidem perstrinxit, sed simul invidiam & libidinem oblatrandi excitavit: nam nihil promens aut ad verba Fabii corruptissima constituenda, aut explicanda, hac censoria animadversione contentus abis; *donec obscuriori huic loco major lux affulgeat*, *eam lectionem secutus sum*, *quae Codd. Almel.* & *Bodl. auctoritate innititur*, id est, exhibes verba omni sensu vacua, & quae nec tu, nec quisquam intelligat. Uteris praeterea contra me auctoritate Cod. Almeloveniani, quem semper fere calumniatus rejecisti, cujusque varias lectiones a me exhibitas magno numero in editione tua legi noluisti. Ita scis scenae servire: denique falsa praedicas: nam in Almeloven. Codice erat *oras*, & tu in textu habes *erras*, an hoc est inniti Cod. Almel. auctoritate? Ego vero ex illius codicis depravatae lectionis vestigiis, unica modo litera *o* in *c*, id est, integra in dimidiatam mutata, feci ex *oras*, *cras*, tu, qui sequeris illum codicem, ut jactas, facis ex *oras*, *erras*. Quis ergo audacior, & simul obtrectator plenior invidia, Egone an Tu? qui centies me reprehendis, quod conjecturas, & varias lectiones codicum, multo magis dissimiles, & minus probabiles reliquerim in notis, & in textum non receperim? Levitas haec est & accusatoria calumnia, non in bono viro, nedum in Theologo, toleranda.

Pag.

Pag. 655. n. 87. in loco, ut mihi videbatur, corrupto, ubi Codices partim *tectos*, partim *rectos* exhibebant, nec in alterutro sensus aptus mihi videbatur esse, tantum mihi permisi, ut pro *lucubrantes silentium noctis*, *& clausum cubiculum & lumen unicum*, *velut tectos maxime teneat*, conjecerim legendum, *vel etiam lectus m. teneat.* Ut sit quasi gradatio, qua dicit lucubrantibus convenire silentium noctis, praeterea cubiculum clausum, deinde in eo unicum lumen, vel lucernam, & si adhuc magis velint cavere, ne oculi mentem aliud agere cogant, superesse, ut in lectum lucubratorium extincto lumine se recipiant. Quid tu? nihil! nisi hanc conjecturam parum probabilitatis habere, quia *silentium noctis*, *clausum cubiculum*, *lumen unicum* τὰς ζυγγραφεῖς velut tegunt, protegunt, a tumultu, strepitu & interpellatione defendunt. Quod est idem dicere per idem, non explicare Fabii verba *tectos teneat*. Quare doceri adhuc flagitabit lector, quid significet *silentium*, *cubiculum &c. protegunt a tumultu* &c. & si jam tumultus in vicinia aut strepitus (de quo nihil Fabius) exortus fuerit, quomodo lumen unicum magis impediet, ne audiat, & ita a studiis avertatur lucubrans, quam si plura sint? quare agi de oculis, non de auribus manifestum est, & Fabium velle quo sunt plura lumina, eo magis oculos cogere mentem aliud agere. Absurda ergo omnia & absona, quae tu producis, cum de *secreto* agat Fabius, ex quo nihil prospici potest, quod non praestant silvae & amoena loca. In inepta vero illa lectione, *tectos teneat*, omnia sunt obscura & turbata. Praeterea quis umquam *tectus unico lumine* potest dici; cum etiam in exemplo quod ex Petronio produxi, lumen unicum inter monumenta (loco certe secretissimo) prodiderit matronam Ephesiam. Nam sic & lucubrans ad unicum etiam lumen, a praetereunte interpellatore posset prodi, nec lumen eum *protegeret* (mira verbi hujus significatio!) ab interpellatione, si, ut tu fingis, tumultus & strepitus in vicinia essent, contra quos ne tenebrae quidem aliquem possent munire.

Aequior appares pag. 698. n. 114. ubi pro *vana vox* ego conjeci legendum *vasta*. Cum vero adjecisses meae notae, hanc conjecturam multum habere probabilitatis, ne tantae suffragationis tuae laude superbirem, subdis, *defendi tamen potest vulgata lectio*, *quatenus vana vox dicitur* ἢ *transitoria*, *non durabilis*, *evanida*, *fallax*, &c. Partes fuerant tuae hanc vocis *vanae* significationem probare, & aliis scriptorum locis confirmare. At horum nihil umquam reperimus apud te, ubi Lexica te destituunt; tunc enim vere is es, quem Galli tui vocant, *un Pedant qui a perdu son Calepin.* Praecipue vero, ubi alios refellimus, instructos prodire oportet. Jam vero si ex quatuor tuis synonymis quis eligeret τὸ *fallax*, ille caperet pro mendaci voce, ut *vana fides*, *verba vana* & similia passim apud Poëtas & alios occurrunt. Quid vero *transitoria vox* sit vellem alio planiori vocabulo explicuisses, cum omnis vox a loquente transeat ad audientes. Nam si inhaereret loquenti, nec transiret ad audientem, ne vox quidem esset. Aut si intelligis, quae transit quidem, sed non intrat aures audientium, vellem illustrares exemplis lucidissimis, talem *transitoriam* etiam *vanam* fuisse vocatam ab aliquo idoneo auctore. Hic Rhodus, hic saltus erat.

Denique, unum adhuc obtrectationis temerariae exemplum producam ex

pag. 708. n. 421. ubi nec ego, nec quisquam alius adhuc interpres, dicere potuit, quid sit *os concurrens* apud Fabium. Quare ego tentaveram conjecturis aliquot locum obscurum; sed ulcus reliqueram felicioribus medicis sanandum. Quid modestius poteram? Tu vulgatam, ut acutior me videreris, defendendam suscipis. Sed utinam absurdissimam explicationem, qua *os concurrens* dicis esse, cum orator audientes aspicit, & ab iis vicissim aspicitur, confirmasses vel unius veteris scriptoris auctoritate. Si de osculis ageretur, facile quid *os concurrens* esset, caperent lectores, sed de oratore & audientibus nemo divinaret. Si *os* pro oculis positum, ut saepe solet, dixisses, aliqua species veri potuisset obtendi. Sed & tunc rogarem, quid esset *cum ore concurrente rixari?* cur hoc non explicas? an quia mecum ignorabas, quae solus intellexisse vis videri? Cautius fecisses, si hoc ulcus intactum aliis, meo exemplo, sanandum reliquisses, & livoris testes tot inanes & inutiles notas, in publicum exire non fuisses passus. Nisi pudor me quoque, ut te, coërceret, *ori concurrenti* adjungerem *os profanum*, quod cum Turnebus satis aperte explicuisset, ejus notam nescio quomodo, Capperonneri, omiseris, qui caeteras tanta cum diligentia congessisti (ut reddam tibi tua pag. 685. n. 20.) nimirum quia ego lectores ad Petronii Commentatores rejeceram, ubi possent satis edoceri hanc libidinem. quare & meam debuisses delere notam. Sed reliquisti ne periret tua nota, qua pag. 683. n. 239. incendere videris lectorum desideria, ut explanatius hoc sciant, addendo. *Nefandam & abominandam libidinem pluribus explicare* (in promptu nempe Theologo hoc esset, si velles) *vetat pudor.* Sed si hîc peccatum aliquid a te fuit, hoc insigni castratione vocum obscoenarum alibi pensas. Nam p. 490. n. 233. ex mea nota vocabulum, in quo exemplum Cacophati erat, ejecisti, positis punctis quibusdam, unde nunc Cacophatum divinare cogantur lectores? Simul tamen miror cur pag. sequenti n. 240. passus sis legi obscoenissimam Gallaei observationem: sed & hoc expiasti, castissime monachalis castimoniae patrone, excidendo partem illam virilem & praecipuam notae meae pag. 421. n. 97. quae *seductores* monachos tangebat. Caligulae personam suscepisti in mea scripta, & *omnia tibi in omnes* licere existimas.

CAP. XI.

Ignorantiae Capperonnerianae specimina ex multis pauca.

SEd ex senticetis & spinetis, quibus livor & invidia obsedit animum tuum, erepamus, & quia Lector parum his horridis & asperis rixis delectatur, videamus an per ampliores ignorantiae campos & omnium partium Philologiae, si unam Rhetoricam excipias, imperitiae cum majori cum voluptate circumducere possimus: nam licet omnes fere notae tuae sint ineptae, inutiles & vere Minellianae, quae verba clariora saepe explicant per obscuriora, Latina per barbara, elegantia per sordida, in his ipsis tamen obviis & quotidianis vocabulis, quae in omnibus Lexicis reperias, pudendos ipsis pueris errores saepe a te com-

commiſſos animadverti, ut nunc exemplis, ex magna copia quidem paucis, ſed illuſtribus & manifeſtis docere inſtituam.

Lib. II. cap. 4. pag. 91. n. 38. explicas, *in lacu*] *id eſt in torculari.* Stultus ſane fuiſſet Fabius, nec umquam vindemiam vidiſſet, ſi per lacum *torcular* intellexiſſet, cum *torcular* vel ipſam machinam & prelum, quo uvae premuntur, notet, vel per figuratum ſermonem a potiori parte poſſit in villa vocari, vel aedificium ſeparatum, vel pars villae, ubi uvae torqueri ſolebant. Sed *lacus*, ô acutiſſime Rhetor, erant cupae, receptacula, in quae muſtum expreſſum ex uvis defluebat ab torculari, & ibi ſervabatur aliquo tempore dum effervеſcebat. Jam vero quis peritus hujus rei, & legens apud Fabium, *nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint*, crederet Fabium, qui monet ne in ipſa quidem maturitate (ingeniorum ſcil. puerilium) eſſe maturandum, agere de torculari. Nam exemplo muſtorum probat, quae non poſſint in torculari, unde ſtatim defluunt, immo ne quidem in lacu auſtera fieri, parvam enim temporis moram non ſufficere; ſed debent hanc auſteritatem in doliis & amphoris tractu temporis contrahere, in quibus condita vina, & fumum bibentia vetuſtate proficiebant. Neſciviſti ergo, Capperonneri, *lacus* diverſos a *torcularibus.* Sed poteris hoc diſcere ex omnibus R. R. Scriptoribus, & quae olim ad Petron. cap. LXX. notavi, quibus adde, ſi adhuc dubitas, Tibulli locum lib. II. Eleg. V. ℣ſ. 85.

Oblitus & muſto feriet pede ruſticus uvas,
Dolia tum, magni deficiantque lacus.

At Urbanus homo & aſſiduus Pariſienſis civis, & immerſus ſtudiis Rhetoricis raro ruſticaris, & vindemiarum Feſto, quo omnes laeti in Francia tripudiant & genio indulgent, tu *ſilentio noctis*, *clauſo cubiculo*, *& unico lumine te tectum tenes*, ideoque haec tibi ignorare aeque licet, ac nobis ad ſeptemtrionem abjectis, quibus aſperius coelum uvas negavit, & qui nullam umquam, niſi in libris, vindemiam vidimus.

At ruſticum te non eſſe facile *politus* ille *modus*, quo, judice *Camuſato*, me perfricas & perſtringis, popularibus tuis probabit. Sed ſi in *rebus civilibus* (id eſt Πολιτικοῖς, ut centies explicas) te peritiorem & magis exercitatum amici tui jactare vellent, neſcio an objiceret tibi Germanus JCtus aliquis verba, quibus lib. II. cap. XIII. illuſtras illa verba Quinctiliani, *neque enim rogationibus plebiſve ſcitis ſancta ſunt iſta praecepta*, hac nota: *Rogationibus*] *Senatus conſultis, quae proprie lex & rogatio dicebantur, quia ferebatur lex rogatis dictiſque omnibus ſententiis, & praeſidente* (nota Gallulum, de Praeſidentibus Parlamenti cogitantem) *Magiſtratu Senatorio, verbi gratia, Conſule.* Haec ſi *Farnabius* aut *Minellius* effudiſſent, certe ab ipſis pueris exſibilarentur. Ubi vero legiſti Senatuſconſulta *dicta olim proprie rogationes*, & *leges*? Lex aut rogatio in comitiis ferebatur, Reverende Domine Licentiate Theologe, numquam in Senatu. Quod ſi tibi probare vellem, tunc certe actum agerem, & ad ſubſellia ludi literarii me tecum demitterem. Sed video quid te, hominem minime malum, ſed admodum indoctum, in fraudem impulerit: quia de Rogationibus & Plebiſcitis hîc agit Fabius, recurriſti ad conſuetos tibi conſiliarios, Lexicographos, & indicum confectores. Hi ad Inſtitutiones Juris cum te remit-

terent, tu eas inspexisti, sed immemor jam, velut alter Didymus, quae scripseras pag. 69. n. 345. de eo qui *rogat Populum*, non Senatum Romanum, & n. 148. ubi fere eadem definitione, & formula, uteris, Justiniani verba non intellexisti. Nam cum tit. de Jur. Nat. G. & C. §. 4. legem definitam vidisses, *quam Populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante*, (*veluti Consule*) *constituebat*. Tu ad patriae tuae morem, ubi nullae sunt populi partes, ad Parlamenta haec referenda credens, ubi *praesidentes* sunt, qui rogant Senatores sententias, quibus rogatis & dictis fit *lex* (*Arrest* ut vocatis, & miror hanc vocem Gallicam te non adhibuisse.) Scio quid veniae impetrandae praetexere possis, non exigi a Quinctiliani commentatore prudentiam juris publici aut privati, quod olim apud Romanos obtinuit, multo minus id postulari a Licentiato Theologo, cui sufficit Curiae Romanae *rogationes & leges*, id est *quae praesidente Magistratu Ecclesiastico*, *veluti Papa*, *a Cardinalibus rogatis dictisve sententiis*, *feruntur*, ad unguem callere, & praecipue novissimi Laterani conventus rogationes & leges. Tibi sufficere, dices, noscere omnes voces technicas (id est, terminos artis) Rhetoricae, qua scientia, ut Aegide munitus, rides insultus omnium Grammaticorum & Criticorum. Utinam tamen, tacite forsan tecum dices, usus hic quoque fuissem sollemni formula, qua saepe caveo mihi ne errem, *vide Jurisconsultos*, (ut pag. 109. n. 18. & alibi) & verba eorum, quae non capio, reliquissem. Quales vagae & incertae auctorum citationes praetulissent quandam confidentiam sine dubio; sed nunc, dum natas sine cortice, & per te vis sapere, non nominatis JCtis, ostendis insignem Reipb. Romanae ignorantiam. Nam tua ratio, ob quam *Rogationes* dictae sint Senatusconsulta, quia *rogatis dictisque sententiis ferebantur*, duo alia aeque venusta possent producere in doctissimo tuo cerebro commenta. Nimirum ut etiam lector crederet, posse *dicta* vel *dictiones* eodem jure dici Senatusconsulta: quia major vis certe legi a *dictis*, quam *rogatis* sententiis accedit. Quam lepidum ergo esset, si in aliis Fabii locis, ubi *dictum* vel *dictio* occurrit, ita commentatus esses, *dictum* vel *dictio* est *lex & senatusconsultum*, *quia dictis sententiis fertur*. Alterum non illepidum, quod ex tua etymologiae subtilissima rimatione aliquis rudis & crassus Belga efficeret, est, quod contenderet aequo jure *Rogationes*, & si vis *dictiones*, dici omnes *sententias*, *a Praetoribus & magistratibus pronuntiatas*, *quia feruntur rogatis dictisque omnium judicum sententiis*, & ita omnia omnium collegiorum, corporum, societatum, civitatium &c. decreta proprie vocari *Rogationes* possent. Sed mittamus hos molestos tibi, scio, jocos.

Melius tibi Theologo, & quia parum distat priscae (ignosce dativo, quem tibi vindicatum dedi) Romanae religioni recens & novitia, manifestum & notabile inter *responsa*, *oracula & omina* discrimen esse doces lib. v. cap. 7. pag. 374. n. 150. si tamen Fabius cerimoniis tuis fuisset initiatus, statim *responsa* ab *oraculis* &c. distinguere potuisset. Nam *oracula*, esse summi Pontificis effata, *responsa* eorum, qui dominantur in mentes plebis, sacerdotum minorum, *omina vero & auguria* &c. esse retenta utilitatis publicae caussa, eorumque interpretationes esse penes Licentiatos, exorcistas, doctores, curiones &c. pronuntiasset. Nunc vero tu novae addictus, de prisca Romanorum religione

sol-

ſollicitus haeres, & laboras in *reſponſis* ab *oraculis* diſtinguendis. Et modo, *τὸ oraculis* (ἐπεξηγηματικῶς) id eſt per modum explicationis adjectum, vel e *marginali* (agnoſco Rhetori propriam & technicam vocem) *gloſſemate* irrepſiſſe ſuſpicaris. Deinde de Augurum Aruſpicumve reſponſis videns agi, & dubitans quo te verteres, delaberis tandem ad *ſomnia* divinitus immiſſa, quae *reſponſa* dici ex vulgato interprete Euangeliorum didiciſti; ſed quae non doces a Romanis ad res publicas gerendas ſaepe adhibita. Omnia medius fidius! docta & plena variae doctrinae. Sed forte te fluctuantem in tranquillo ſiſtere potuiſſet Valerii Maximi lib. I. cap. I. ex Cicerone fere repetitus locus, qui *omnes gerendarum rerum auctoritates*, *Augurum obſervatione*, *Apollinis praedictionibus*, *vatum libris*, *portentorum vero depulſiones Etruſca diſciplina explicuiſſe* majores ſuos dicit. Quae verba, aliquantulum quidem a Ciceronis diſtantia, tamen hoc efficere videntur, ut nihil publicae rei majoris momenti gererent, quin vel Apollinem conſulerent, cujus reſponſa vates explicabant, ut ex Hiſtoria Bruti & paucis aliis patet, vel ſi portenta eſſent, Libros Sibyllinos inſpicerent, cum conjecturae de ominibus bonis aut malis, id eſt, an ſigna eſſent, quae eventum proſperum vel adverſum promitterent, ad Augures ſpectarent & Haruſpices. Jam quis neget *Reſponſa* poſſe de omnibus recte dici, & de diis, qui edebant oracula, ut ita Fabius III. 7. *reſponſa* & *oracula* confundit, & de hominibus, qui explicabant vel oracula Apollinis vel omina, vel portenta, quid portenderent. Sed quia Fabius hîc diſtinguit, quid ni *reſponſa* hîc ad homines, *oracula* ad Deum referre liceat, ut praedictiones Apollinis ſint *oracula* (quae millies etiam *reſponſa* vocantur) *reſponſa* ſint vatum interpretationes, *omina* vero ſpectent Augures, qui de coelo ſervabant & renuntiabant, & Haruſpices, qui exta inſpiciebant, & quos mox Fabius memorat: ſic ergo *oracula* dabant dii, vates conſulentibus *reſpondebant*, quid ea vellent, & ipſi etiam futura praedicebant, Augures & Haruſpices omina & portenta *conjiciebant*: nam ita ipſe diſcere potes ex loco Rhetoris Graeci, quem adducis pag. 155. n. 16. ubi μαντήματα diſtinguuntur a χρήσμοις. Si aliter potuiſſes diſtinguere, libens a te didiciſſem. Nam Cicero tribus etiam omnem religionem definit de Haruſp. Reſponſis cap. 9. *Augurio*, *Vatum libris*, quibus *oracula*, id eſt, Apollinis praedictiones explicabantur, & *Etruſca diſciplina*: & Virgilius oracula Apollinis, ut primum Religionis caput ponens, vatem ita deſcribit lib. III. 359.

Qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas & praepetis omina pennae.

Sed haec nimis alta, & periculoſum eſt intervenire ſecretis religionis, quare ad magis vulgaria nos demittamus: Et licet hanc religionis partem quoque ad ſe Pontifices veſtri traxerint, an de Romanorum matrimoniis tu, Licentiatus Theologus, vera tradere potueris, vehementer dubitamus; ſed videamus.

Pag. 294. n. 316. lib. v. cap. 10. obſcure admodum definis matrimonium *confarreatione* fieri ſolitum, unde non clare tibi ejus rationem perſpectam eſſe ſum ſuſpicatus. Cum Turnebus ex Ciceronis Topic. cap. III. ſententia, duas ſpecies nuptiarum *uſu* & *coëmptione* feciſſet, Tu qui etiam Boëthium legiſſe nobis

bis persuadere velles, addis, *tertia matrimonii species erat pontificum propria*, *quorum matrimonium* (elegans repetitio) *fieri confarreatione dicebatur.* Hinc lector rudis antiquitatis, qui vellet ex tuis libris lexicon aliquod locupletare, colligeret, hoc matrimonium a solis Pontificibus fuisse celebratum, quod neque verum est, neque Boëthii verba ferunt. Certe initio civitatis hoc unicum videtur fuisse matrimonium, deinde vero cum post leges XII. Tabul. per disputationem fori & JCtorum responsa, *subtilitates* (ut vocantur) illae Juris coepissent usurpari, & uxorem aeque ut ancillam & filiam & alia in manum viri debere venire contenderent, quo mariti potestati magis subjecta foret uxor, & alias ob caussas notas JCtis, coëmptione & usucapione ceperunt uti, & cerimonias illas, graves & molestas, negligere. Quae cum necessario tamen requirerentur in matrimoniis eorum, qui filiis natis spem Flaminii (nescio an & Pontificatus & aliorum sacerdotiorum) consequendi non volebant praeripere, apud paucas & nobilissimas gentes confarreatio duravit. immo & apud Patricios ita exolevisse narrat Tacit. IV. Annal. 16. ut cum Dialis Flamen legi deberet, genitus confarreatis parentibus, non *adfuerit copia ut olim* (quae vocula notat frequentissimum fuisse olim matrimonium) *omissa confarreandi consuetudine*, *aut inter paucos retenta.* An hinc jam constat hoc matrimonium proprium *Pontificum* fuisse? de quibus nihil Tacitus, neque extra Boëthii obscuram notam, aliquid alibi video produci. quamvis facile induci possem, ut credam & Pontifices debuisse nasci ex confarreatis parentibus, & hinc ita explicarem verba Boëthii, *confarreationem solis Pontificibus convenisse*, id est, fuisse aptam & utilem, quia ex talibus nuptiis procreatus Pontifex debebat creari, quae ob rationes a Tacito allatas negligebantur vulgo; propter cerimoniarum videlicet difficultates, & quia filiusfam. Flamen creatus exiret e patria potestate, &c. Ideoque civibus reliquis non tam conveniebat. Ignosce, gravissime Theologe, si tempora tua morer his notis, quas adponere Fabio nolui, quia apud nos haec quotidie audiunt *tirones*, & magna pars puerorum ea callet, quae vos gravissimi viri, Rhetoricae uni addicti, non percipitis; non magis ac Logicae & Dialecticae operantes exempla, quibus hae artes illustrantur, ignorare solent. Sed ad alia.

Lib. VI. cap. 3. pag. 379. n. 176. illustre iterum specimen cernimus egregiae juris antiqui prudentiae, qua excellis & ornas notas tuas in Fabii obscura loca, a me & aliis interpretibus neglecta. *Mancipare* interpretaris, *vendere*, *alienare*, (*ut vulgo ajunt*) *praediorum mancipium*, *seu dominium ad alios per venditionem transferre.* Primo oraculum tuum adeo, venerande Antistes, ut consulenti respondere velis, quid in contorta & tenebricosa oratione, intelligas *per praediorum mancipium vendere*, *vel transferre per venditionem.* Talem ego locutionem numquam audivi, nec in ullis linguae Latinae vel Juris Romani Lexicis aut Thesauris invenire potui. *Brissonius*, *Stephanus*, *Faber* & omnes me docuerunt *mancipio dare*, *accipere*, *promittere* &c. recte dici, & frequenter. Quare, si me, ut monitores tuos Parisienses, & Londinenses adhibuisses, tibi auctor fuissem, ut a JCtorum formulis abstinuisses, & loca illa Fabii, ut sunt multa, quibus de Jure Romano agitur, sicco pede transiisses. At dices, Terentius dicit, *male conciliatum mancipium*, & id explicant *emtum* interpretes & Lexico-

gra-

graphi: ergo si *emere mancipium* licet dicere, etiam *vendere mancipium* quis vetabit? & cum in Lexicis illud legissem, inde formavi hanc locutionem. Egregie vero! sed an legisti etiam *mancipium praediorum vendere*, nisi intelligere velis *servum* praediorum, sive rusticum, aut an de *servis*, an vero de ipsis *praediis* agit Fabius? video pudorem ora tua subire, ideoque non pergam hanc elegantiam Latini sermonis ulterius illustrare.

Pag. 450. n. 24. lib. VII. cap. 7. Te argumentum controversiae alicujus, *Magistratus ab arce discedat*, explicantem non potui non mirari, & dexteritatem illam omnia vetera Graecorum & Romanorum instituta cum hodiernis conferendi, ita enim explicas. Magistratus] Στρατηγὸς, hoc *est praetor*, *vel dux exercitus*, Gallice *Gouverneur de place*. Nescio an apud Gallos semper duces exercitus (qui *Generaux* vocantur) sint iidem, qui dicuntur *Gouverneurs de place*, cum multos arcibus praefici audiverim, qui exercituum duces non sint. Sed hoc scio, in reliquis notis esse omnia vaga & confusa, & nullam antiquitatis intelligentiam prae se ferre: addis enim. *Nam olim magistratus erant militares, ut & urbani* (ego dicerem *iidem*, *qui & urbani.*) *Immo Romanorum Dictatores & Consules magistratus erant urbani simul & militares, ut vel ex uno Livio satis patet.* Nam 1mo illa declamationum argumenta plerumque ex Graecarum civitatium institutis sumebantur, ideoque nec *Praetor*, nec *Consul*, nec *Dictator* Romani hic intelligi possunt, sed Graecae alicujus civitatis magistratus, qui arci custodiendae a civibus compositus erat. Nec de provincialibus, quales fuisse forsan probari posset, arcibus capias: illis enim nunquam magistratus praefectos hoc, ut tu capis, sensu scio, cum eo nomine soli Roma missi *Proconsules*, *Propraetores*, *Legati*, *Quaestores*, aut qui extra ordinem cum imperio mittebantur, appellarentur. Et Provinciarum rectores urbibus & arcibus ex cohorte sua aut tribunos, centuriones, aut quos volebant, praeficere solerent. 2do Franco-Latinum te probare volens, *Consules* & *Dictatores* facis *militares & urbanos magistratus simul*. De Dictatore possem concedere, licet ita non loqui soleant periti antiquitatum Romanarum, sed de *Consule*, proprie loquendo, falsum est, post legem Valeriam de provocatione, quæ statim post ejectos reges lata fuit: nam proprie loquendo Consul ex vi sui magistratus nullum habebat *imperium*, ideoque militibus praeesse non poterat, sed tantum *potestatem*, & hanc in urbe in cives exercebat, solo fascium honore ornatus, qui *potestatis* erant insignia, sine securibus, quae *imperii* insignia: nec licebat illi rem militarem attingere, nisi reus gravissimi criminis esse vellet, nec nisi post legem Curiatam de imperio ipsi dando latam. Vides ergo Consulem proprie esse urbanum magistratum, & ad cives regendos tantum creatum, sed si bella poscerent ducem, lex Curiata ferebatur, quae dabat ipsi *imperium*, & tunc *imperator* (id est *General*) poterat appellari: nam & praeterito Consule saepe extra ordinem imperium datum privatis, ut Scipionis, Pompeji & aliorum exemplis docere te possem, si vacaret, & nostrates hoc ignorarent: te vero non didicisse olim in ludo Rhethorico apparet, qui lectores tuos ad Livium, nec libro nec capite designato, ablegas, & ita existimandi de tua peritia Romanae reipub. copiam non facis. Obliviosum etiam te saepe vidimus, ut accidere solet ignorantibus, qui nesciunt

M ubi

ubi pedem figant: nam pag. 125. n. 21. consulem *togatum & urbanum magistratum gerere* dixisti.

Sed minus seria tractemus, & severam hanc nimis censuram jocosa & ridicula ignorantiae tuae nota distinguamus. Senties, spero, ubi hanc epistolam legeris, opus esse aliqua Juris peritia, qui Fabium tractare & intelligere velit. Jam vero, cum ostenderim Te tam securum veteris juris, saepe offendisse in conferendis Romanae civitatis institutis & legibus cum Franciae vestrae moribus, videamus, an ipsos quidem JCtorum, quorum fragmenta Justinianus in Pandectas conjecit, libros umquam inspexeris, ad quos tamen confidentia cum summa ipse saepe lectores remittis, quia forte me & alios eorum testimonio uti vidisti. Suspectum enim, non modo ignorantiae, sed Thrasonicae mihi jactationis & plagii, quo loca ex Pandectis aliis sublegisse puto, te faciunt saepe lepidae admodum emendationes, quas tua manus notis meis & aliorum adhibuit, & quas initio, dum legi tuas notas, non animadverteram: ideoque forte elapsa mihi sunt quaedam loca, quae te numero suo saltem convincerent inscientiae turpissimae, & neque Codicem, neque Pandectas numquam inspexisse, vel nescire adhuc, unde illi conflati sint: nam quotiescumque ego aut alius commentatorum citamus ex libris juris hac nota *leg.* evasimus manus tuas, & nobis relinquis nostra. Sed ubi compendii & *celeritatis* (non *credulitatis* vid. pag. 244. n. 496.) caussa una litera *l.* legem aliquam ex Pandectis aut Codice citamus ad testimonium, tu inde *lib.* id est *librum* fecisti in tua editione, ita ut interpretes priores & ego apud illos, qui abjecta mea editione, tua tantum posthac utentur, pro ignarissimis juris haberi debeamus. Sed spero aequiores lectores, quorum nullus humanioris disciplinae peritior, si vel unam paginam legerit, non abjiciet statim onerosum volumen. Nunc quam te ridiculum praebueris ipse vide. Turnebus pag. 505. Edit. m. citaverat *Ulpianum lib.* 47. *de Injuriis*: indicans librum Pandectarum, quo titulus ille *de injuriis* continetur: tu, qui e Brissonio forte didiceras illa Ulpiani verba de *atroci injuria* legi in lege septima ff *de Injuriis*, in tua editione pag. 353. n. 74. jubes nos legere, *Ulpianum lib.* XVII. *de Injuriis lib.* VII. & in tua nota geminans errorem ridendum, iterum exhibes *vide* π. (Graece saltem scis signum Pandectarum) *de Injuriis lib.* 7. 8. 9. CAPPER. Sic ergo discimus rectè dici *librum* 47. *libri* 7. aut *librum* 7. *libri* XLVII. si vero ullum juris usum habuisses ex lib. XLVII. citasses legem 7. §. 7. 8. & leg. 8. & 9. §. 2. *de Injuriis*. Sic iterum pag. 243. n. 449. *Ulpianus in titulo de Injuriis lib.* XV. §. 20. & 22. & eadem pagina, & eadem accuratione n. 459. in Turnebi nota edidisti, *Paulus JCtus ait lib.* XXVII. *ff. de injuriis*. Hinc discas, quam apte tibi conveniat censoria Persona, quam iterum pag. 389. n. 341. sumis, ubi me acriter castigas, quod in Turnebi nota non emendaverim eum, qui in loco ex Pandectis *Ulpianum* pro *Paulo* laudaverat, nec etiam alia quaedam vitia operarum emaculaverim. Saepe tibi jam dixi, me non credidisse id mihi negotium datum, ut in aliorum notas jus emendandi mihi arrogarem, qui res meas agere, quam ex aliena infamia laudem captare, malui. Sed videamus quid commiserim. Fateris ipse, qui diligentiam meam desideras, me ipsa Turnebi verba ex Adversariorum editione Argentoratensi 1599. qua & ego

ego utor; fideliter expressisse, ulterius nihil mihi vindicavi, nec temporis, mihi carissimi, penuria permittebat singula loca ab aliis laudata, ubi nulla suspicio erat perversae citationis inquirere & excutere, & ita τὸ *meo*, quo carebat illa editio, me non advertit, quia sensus sine eo optime constat; & forte etiam sponte omisit Turnebus, quia parum ad institutum faciebat, an legeretur, *si servo pugnum duxero*, an *servo meo*. indignae hae liberali ingenio, sed propriae *Pedantibus*, cavillationes. Deinde legitur *testantem* conjunctis literis, pro *te stantem*. Quales librariorum aberrationes mille licebit tibi, qui otio abundas, & jam Rhetoricis tuis lucubrationibus consummatis, nihil habes quod agas, ex omnibus doctorum virorum editis libris colligere. Sed tamen debuisses prius excutere Pandectarum editiones diversas, quae in hac lege admodum variant. Sollicitus tantum erat Turnebus de phrasi illa *colaphum*, vel *pugnum ducere*, ideoque forte non vacavit illi reliqua verba legis exprimere, cum in editione vitiosa, qua uteretur, etiam legeretur *testantem*, ut in Charondae & forte aliis etiam exstat. In Gothofredi vero, qua ego saepe uti soleo, legitur non *in te stantem*, sed *in proximiorem stantem*. Sed videamus, quaeso, quomodo tu, acerbissime reprehensor, Turnebum emendas, qui ita edidisti: *Paul. lib.* IV. *ff. de injuriis*, *si cum servo meo pugnum ducere vellem*, *in proximo te stantem percussero*, *injuriarum non teneor*. Qualis ille liber quartus Pauli de Injuriis? an illum fando umquam audivisti? tandem post futiles tot censuras, Turnebum absolvis culpa, quam Typographo potius adscribendam censes. An non satius fuisset vel corrigere simpliciter Turnebi verba, vel, si in tam levi re gloriam captares, errorem brevi nota indicare. Sed ita periisset tibi mihi insultandi occasio, & longiori nota molem tui voluminis amplificandi. Raphaëli Regio etiam depravando manum adhibes pag. 439. n. 70. ubi cum ego pag. 627. Ed. m. edideram. *vide l.* 3. §. 7. *ff. de re militari*. Tu correxisti, vide *lib.* III. &c. In Almelovenii nota pag. m. Edit. 591. ego edidi jusseram, *l.* 1. *ff.* §. 1. *si tabul. Testam.* Tu pag. 413. n. 161. exhibes, *lib.* 1. *ff.* §. 1. *si tabul. Test.* & te bona fide credere ita semper esse citandum apparet, quod infinitis in locis meas quoque saepe notas ita emendes: ut pag. 251. n. 21. *Paulus JCtus lib.* XXIII. §. 5. *de R. V.* & ibidem, *vide & lib.* XXX. *ff. de Usurp. & usuc.*, cum ego unica litera *l.* essem usus. Pag. m. 639. edidi, hoc constitutum est *l.* 1. *Cod. de condict. Furtiv.* Tu pag. 448. n. 5. edis *lib.* 1. *Cod.* ubi frustra hunc quaeres titulum. Sequenti pagina n. 41. ego *l.* XV. *ff. legat.* I.. tu *lib.* XV. Et ne molestus sim eadem egregia facinora tua commemorando, mutas simili dexteritate *legem* in *librum* pag. 80. 39. n. 110. n. 2. 111. n. 27. bis. 177. n. 373. 383. n. 248. 399. n. 44. 383. n. 284. 505. n. 111. 560. n. 326. 449. n. 41. 618. n. 1. 706. n. 620. & infinitis aliis locis. Ubi vero ego citavi tribus literis *leg.* tu reliquisti, ut pag. 561. n. 346. 168. n. 179. 454. n. 31. 503. n. 76. & alibi saepe. unde nisi elephantino corio obductus fuisses, sentire potuisses, semper *leg.* non *lib.* scribendum esse: & semper cautius fecisses, si in meis & aliorum notis contractas illas notas, pro productis vel integris verbis reliquisses, in quibus si quid peccatum esset, tibi numquam adscripsissent aequi rerum aestimatores, sed soli, si qui postea exsurgerent, Capperonnerii. Nunc vero si editio tua perennabit; infamas meum & aliorum nomen.

men. Sed insigne stuporis argumentum das pag. 431. n. 59. ubi in una eademque Regii nota, cum ego pag. 616. Ed. m. edidissem, *leg.* 3. *ff. de penu leg.* & *l.* 96. *de V. S.* tu priori loco retinuisti *leg.* sed ultimo quia *l.* erat, edidisti *lib.* 96. postea vidi idem tibi accidisse pag. 165. n. 136. ubi in mea nota edis *lib.* 2. *ff. de Off. Praetor.* in tua *leg.* 1. *ff. de in diem addict.* & *leg.* 3. *ff. quibus in Pign.* sed relinquo haec. Ne vero hanc ignorantiam nobis adscribant lectores tuae editionis, cavisti, qui in tua etiam nota ipse scribis p. 177. n. 373. *lib.* 3. *§.* 5. *ff. uti possidetis*, pro *leg.*

Nec in solis juris librorum citationibus te & nos ridiculo exponis, sed, quod magis risum excitare possit, in aliis etiam notis verborum aut numerorum contractis. Ego certe saepe remittens lectorem ad alios scriptores, qui amplius egerunt, de ea re quae est sub manu, utor litera *v.* pro *vide*, quae aliquando etiam ponitur pro numero quinario. Pag. 718. Edit. meae legitur. *Romanorum*] *non est in Cicerone, ex cujus V. Verr.* 45. *haec desumta.* Tu pag. 505. n. 111. exhibes, *ex cujus Vid. Verr.* 45. *haec desumta.* Nesciens forte quinque Verrinas esse orationes. Quantus vero debuit esse tuus stupor, ut nec ipsa sensus absurditas & vitium, tuam a prurigine mea deformandi manum retrahere potuerit. Quantos non risus & cachinnos tollent Belgae & Germani, ubi Te, quem omnibus ostentant nunc Galluli, ut argumentum & pignus nondum plane pereuntium in Francia literarum elegantium, tam turpiter te dedisse legent? Quae non dicta & jocos in te vibrari brevi videbis, ô Capperonneri? Solus forte te stuporis & incredibilis ignorantiae absolvet summus amicus & popularis tuus Gallulorum princeps & patronus, & dictator reipubl. literariae *Gorallus*, cujus in gratiam etiam notam meam adulterasti, & cum ego eum digno elogio, *stupor ille Clerici*, ornassem, tu hanc ipsi prae te invidens gloriam, pag. 603. n. 283. tantum *Clericus* legi voluisti. Qui etiam in illius & esurientium, quorum magna apud nos vis, Gallulorum gratiae spem, ultimam meae notae partem ad lib. II. cap. XX. pag. m. 202. tuae vero Edit. 135. n. 6. ejecisti. Ille vero eruditorum Phoenix saepe in his literatorum notis haerens, nec se expedire statim callens, iracunde semper in amputata illa verba invehi solet, ut quae caussae fuere, cur *Apoll.* legens, nescierit an *Apollodorus* an *Apollonius* esset intelligendus, & ideo bis jam *Apollodorum* in Poëtarum classem retulit. Neque etiam sub *Plut.* illo terribili *Plutarchum* latere umquam scivisset, nisi ab amico docto monitus fuisset.

Mitterem jam te, & ignorantiae tot editis speciminibus reliquorum gratiam facerem (nam miserari te incipio) nisi publicae rei literarum interesse crederem, semel ostendere, quam severa lege profeceris, qui tanta cum pompa Illustri Praesuli Foro-Juliensi te jactas, & ea proditurum magnifice polliceris, quae *Scaligeri*, *Budaei*, *Mureti*, *Casauboni*, *Victorii* & nescio qui, vel ignorarunt, vel obiter tetigerunt, & te toti orbi literato ostensurum, rationem, quam nec commentatores in Usum Delphini, nec qui cum variorum notis ediderunt auctores, nec Burmannus instituere umquam didicerunt. Thrasonicas illas & fatuas sui ostentandi & venditandi voces qui sufferre poterit, legat ille, quaeso, hanc ad te datam a me epistolam, & simul sub fastu illo, quem toties *Cle-*

ri-

ricus ille in Criticis prioribus exagitavit, quo citas, *Livium*, *JCtos*, & nescio quos, nullo nec libro nec capite, aut perperam designato, latere summam ignorantiam, & furta turpia & pudenda intelligant. Fateantur, rebus ipsis convicti, parum te versatum esse in veterum & recentiorum scriptis, quae tamen ad testimonium vocare audes, aut si adhuc dubitare pergant, pauca etiam haec, non minus certa ignorantiae & inscientiae argumenta perpendant.

Pag. Ed. m. 53 ago de vocibus *Casnar* & *Mastruga*. Tu, cum tamen Grammaticae & (ut vidimus, in voce, *biclinium* & *oeconomia* &c.) etymologiae peritissimus videri cupis, hîc siles. Sed priori meae notae. p. 35. n. 41. adjicis haec, *de his vocabulis operae pretium erit legere Vossii Etymologicon.* Si quis jam quaerat eas voces in Etymologico Vossii, credet se in elemento suo & ordine literarum reperturum, ita enim viros eruditos libris, quae Lexicorum vicibus funguntur, uti constat. Sed neutra occurret: prima quidem *Casnar* excutitur a Vossio in voce *Cascus:* sed hoc monere debuisses: altera nusquam apparet, nec *Mastruca* vel *Mastruga*, in toto Etymologico locum reperit. Sed Vossius eam retulit inter voces aevi sequioris lib. 1. cap. 3. de Vitiis sermonis. Vide quam officiose & comiter monstres viam iis, qui ad Vossii libros recurrere cuperent, & ita etiam eodem capite p. 41. n. 260. & 261. priori, ubi de *Mappa* agitur nihil subjicis: sequenti vero, ubi de *Gurdo*, adjicis meae notae, nullo signo aut nomine distinctae ab additamento tuo, *vid. Vossii Etymol. & Sueton. in Neron.* 22. atqui vox *Gurdus* in toto Suetonio non occurrit; sed tu apud Vossium videns *Mappam* a Neronis tempore in Circensibus missam, huc locum retulisti, loco non congruo.

Pag. 77. n. 17. tuo marte rem gerens & explicans aliis praeterita, Fabii lectores, qui de permutatione literarum Ρ. & Λ. apud Graecos in pronuntiando, quod & apud Romanos usu venisse docet Fabius, velint doceri plura, ablegas hoc modo. *Sic nigellus ex τῷ niger, umbella ex umbra, vide Vossii Etymologicum.* Ubi vero? an in *nigellus* aut in *umbella?* sed ibi nihil reperio, nec ipsas voces. Sed ante Etymologicon legitur ejus libellus de literarum permutatione, in quo inter voces, quae R. cum L. permutant, recensetur *nigellus.* Pag. eadem n. 25. de voce *κατακεπλασμένον*, addis Turnebi notae, *vide Petitum in Miscellaneis.* at quem *Petitum?* duo enim fuere *Samuel* & *Petrus*, & ambo MISCELLANEORUM nomine librum ediderunt, sed hoc discrimine, ut Petrus *Miscellaneas Observationes*, Samuel *Miscellanea* titulo proscripserint. qui jam *Miscellanea* Petiti laudat, ille Samuelis intelligendus est citare. atqui in illius Miscellaneis ne γρῦ quidem de hoc verbo reperitur. Sed in *Petri Petiti* Miscellaneis Observationibus lib. III. cap. 23. de eo quaedam observantur. Jam vero necessarium esse praenominibus, licet id in Francia parum decorum videatur, te ipsum judicare inde conficio, quod pag. 675 n. 96. ubi ego citaveram *Cognatum*, tu manu tua addidisti praenomen *Gilb.* etsi ibi nullum periculum esset errandi. Tam minuta carpis, dices; fateor, sed qui tot cumulatos errores committis, debueras humanior in aliorum lapsibus multo minutioribus notandis esse. Mirum vero haec amico tuo, *qui ita tuas dubias conjecturas comprobavit, ut novis rationum momentis ad plenam veluti demonstrationem* (ô insignem Mathemati-

cum, sed parum Latinum!) *aliquando perduceret*, haec non monuisse, & ex *incerto certum te reddidisse*. Nam talia ad forum ejus & tribunal pertinent.

Pag. 274. n. 155. cum vulgatissima quoque & pueris apud nos nota de *Augurio* & *tripudio solistimo*, fastidienti lectori quotidianas reliquias apposuisses, ne in re minime dubia auctoritate careret nota, subdis tribus verbis *Vid. Tit. Liv.* sed an antiquitatis compendia non potuerunt tibi lib. x. cap. 40. ostendere, ubi tantum neglecti & contemti hujus auspicii minime ignotum exemplum narrat? debuisses potius ad Ciceronis libros de Divinatione & praecipue II. cap. 34. remittere, ubi ex professo de eo agitur.

Pag. 313. n. 140. Colomesius Vossium compilans culpat Fabium, quod erraverit in *Aspasia*. Tu subjicis. *Colomesius Fabio tribuere non debebat eorum errorem, qui libros transcripserunt vel typis ediderunt* (utinam memor hujus praecepti, & lege tua aliis data semper usus fuisses) *lege ipsos Aeschinis & Socratici dialogos, quos cum notis edidit Spanhemius, vel Joannes Clericus in 4to*. His verbis sane *oppido* (ne dicam *satis*) insignem prodis rerum literariarum ignorantiam, nec quid inter eruditos geratur scire videris. Numquam enim *Spanhemius* (*Ezechielem* te intelligere credo, qui pro excellenti doctrina & dignitate elogio aliquo ornari, nec cum *Clerico* in ordinem redigi merebatur) edidit Aeschinis dialogos, sed ipse *Clericus*, nec in 4to. sed in 8°. ut vocant. in illa vero editione frustra in Dialogis Aeschinis, credo, quaeres *Aspasiam*. Sed *Clericus*, quarti Dialogi loco adjecit verba Ciceronis ex lib. I. de invent. 31. Quare te numquam Dialogos istos Aeschinis vidisse puto, quod necesse erat, si Colomesium refellere libido esset.

Pag. 340. n. 81. ad Fabii haec, *bona ad me pertinent*, adjicis, *vide ut apud Jurisconsultos τὸ pertinere significet proprietatem & Dominium, ut ajunt*, quae nihili est observatio, nec huc *pertinens*. Nam utitur hoc verbo Fabius de modo argumentandi per epichirema, in quo controversa probantur confessis, nec agit studio & data opera de verbo *pertinere*, quae millies hoc sensu occurrit, & ex solo Brissonii Lexico magnam vim legum producere commentatores potuissent, si tales notas necessarias credidissent.

Pag. 593. n. 127. laudas *Dionys. Halicar.* non indicato loco, qui est de composit. verbor. pag. 12. Edit. Sylb. Ad lib. VI. cap. 3. in fine ego in nota dixeram, vide *Schottum de claris apud Senec. Rhetor. in Vinicio*. Deinde bene distincta periodo subjeceram varias lectiones hoc modo. *Et de doctore*. Steph. *& de arctore*. V.C. Alm. cum in textu Fabii esset, *& de actore*. Tu pag. 396. n. 450. quia forte *Schotti* librum vel non noveras, vel non inspexeras, edis. *Vide Schott. de Claris apud Senec. Rhet. & Vinicio de Doctore Steph.* & tunc tuam subdis notam non distinctam a mea, quo nomine mihi gratulor. Tibi enim Lectores hunc stuporem adscribent, & gratias tibi agent, qui omissa particula *&* continua serie ediderís omnia, & te jam Vinicium *Doctoris* titulo ornatum credidisse, sibi persuadebunt, & te *Torrentio* sola cavillandi libidine obloqui per se videbunt.

Pag. 521. n. 193. ad lib. VIII. 6. cum ego Catachresin in exemplo ex Tragicis petito, *Leo pariet*, non in *Leo* sed in *pariet* esse quaerendam docuissem post alios, & ideo exemplis pepercissem: sed Graecis & Latinis, immo & Hebraeis usi-

usitatum docuisse *Drusium* lib. III. Quaest. Heb. 31. adnotassem, tu eadem quae ille, & *Turnebus*, quem tu citas, verba producis, & ex Nonio, quem etiam *Drusius* laudaverat, nobis das, Caecilii verba. *Chalcissans hic vicinus se eas peperisse vobis*. & addis, *Chalcissare videtur dixisse pro hariolari & ad Chalcantem illum vatem allusisse*. Sciebam jam multis documentis te egregie in Etymologicis versatum, sed mirabar tamen te tam acutum: sed vellem simul ex analogia docuisses ex *Chalcante* posse derivari *Chalcissare*. Sed & haec furto te sublegisse *Junio*, qui editioni suae Nonii hanc derivationem adjecerat, deprehendi. cum si aliquis tibi usus fuisset Nonii, ejus diversas editiones rectius consuluisses, unde didicisses legendum esse, *Caecilius auctor est Calcis*, vel *in Calcis*. qui titulus operis Caecilii, ex quo & fragmentum est in voce *Soniti*. H. Stephanus etiam in Fragm. Vet. Poët. pag. 63. edidit, *Calchis Stat hic vicinus, se autem peperisse*. Gothofredus vero edidit, *Chalcis Sat hic vicinus se autem peperisse*, distinctis quidem vocibus *Chalcis* & *Sat* spatio, sed non puncto, & Junii notam adjecit, & in suis iterum repetivit. vides ignorantiae labe te furta tua cumulare. Sed jam fatigatum lectorem, tot ineptias a te in Fabium congestas excutiendo, & legendo suspicari fas est. Me certe recensendo diu jam fastidium earum cepisse fateri possum. Ideoque, quamvis ingens adhuc copia ad manum sit, hîc pedem figere decrevi, & te cum omnibus tuis adjutoribus & plausoribus valere jubebo. Ut vero bene demissos vos sciatis, hoc accipite Schedium, non quidem Lucilianae improbitatis, sed quo injucundam & inamoenam hanc disceptationem exhilarare visum fuit.

Fabi, Romuleae diserte pubis,
Et linguae moderator eloquentis,
Quem nec Scaligeri *sagax acumen,*
Turnebi *neque vis polita cepit:*
Quem nec Cecropii potens nitoris
Budaeus, *neque perspicacis acre*
Mureti *ingenium explicare quivit:*
Quem Victorius *abditae tegentem*
Tot mysteria, non peritus, artis,
Quem divina Casauboni, *vel ampla*
Mens Salmasia, *tot scientiarum*
Perspexisse capax negatur umquam.
Cappronnerius *at Licentiatus,*
Et Diaconus Ambianus, illud
Franciae decus elegantioris,
Et flos unicus orbis eruditi,
Cristas, & caput altus insulatum
Sacrae tollit honore disciplinae,

Vit-

Vittatoque jubar vagumque spargens
Lumen vertice, Solis instar almi,
Offusas Fabio fugat tenebras:
Nam Graeci celeber Professor oris,
Prudens Grammaticae, Poëseosque,
Summus Rhetorici artifex decoris,
Et Graecis socians Latina sacra,
Cunctas pectore comprehendit artes.
Hic est, credite Romuli nepotes,
Nec Franci dubitate, monstruosus
Partus, quem, Phrygia stupente, longis
Midas nobilis auribus cadentem
Suscepit genetricis ex caverna.
Mox Pani Satyrisque dans alendum
Jussit ducere lac aselli inertis;
Os sed fingere Marsyae imperavit.
Sed quem stercoreae monebat augur
Cumanus fore mercis institorem,
Coepisset simul ac manu profana
Audax Musica commovere Sacra.
Nam Corsae in teneris apes labellis
Cacavere tropos, & os figuris
Foedantes, apinas levesque tricas
Torpenti posuere sub palato.
Hinc linguarum elementa post duarum,
Per falsae Sophiae dolosa tecta,
Ambages Logicas, & implicatum
Spinosae Dialecticae vepretum,
Tandem Delphica repsit in vireta.
Et vasto veteres fugans Minervae
Cultores sonitu, tenet Cathedram
Arcas in celebri Parisiorum
Lyceo, recoquens procace lingua,
Et chartis olidis novans aniles
Nugas, Zenodoti cor, & Cratetis
Jecur creditur. Ecce, dictiones
Et vocabula, technicasque voces
Ardet promere, formulasque tritas
Ex tetra cupidus trahit cloaca,

Eru-

Eructans anima gravi mephitim.
Atque has quisquilias ineptiasque
Laudat barbara contumaxque lingua
Mattairi; miserans rudes Britannos,
Exsul qui patriae, scholaeque rector
Factus, mox hebetes, stupente saevi
Neptuno maris arbitro, nitore
Franco discipulos polire coepit.
Sed qui subdere colla dein recusans
Regi, quo melius benigniusque
Nil numen dedit acribus Britannis,
Nunc, ô Di! ferula furens ademta,
Auctor prodiit, insciusque linguae
Argivae simul & rudis Latinae,
Grajos dat tamen & libros Latinos
In lucem, indicibus graves ineptis.
Adstrepit socio ferocienti
Mundi nobile Cymbalum, Gorallus,
Scribax Gallulus, arrogans politor
Germanae ruditatis, & stuporis
Corrector truculentior Batavi:
Gestans qui numero libros ducentos;
Malos Jupiter! & simul malignos,
Omnes ordine quos decente narrat
Jactator variae eruditionis,
Et vitae propriae immodestus auctor.
Qui tollens vacuum super paludes,
Et crassi caput aëris vapores,
Gallulis cluit unicus Palaemon.
Omnes qui Criticos, levemque turbam
Antiquos simul & novos Poëtas,
Omnes Grammaticos, prioris aevi
Et nostri Historicos, Sophos, Sophistas
Horrenda citat ad tribunal atrox
Voce, Ephemeridum minax tabellis:
Proponensque Academiae magistris
Edictum, temeranda jura nulli
Minoa gravitate dat, creatus
Dictator vitio orbis eruditi.

Crescit sed vetulo aemulus Joanni
Censor qui novus, auspicatus acta
Literaria, contumelioso
Burmannum opprobria notat tremendum:
Capronnerius *hoc superbus altum*
Laudatore caput levat, recenti
Dum cernit fatuum favere curae,
Quam nec viderat ille buccinator.
Et cur non sibi comtulus placeret
Editor Fabii, notis onusti
Technicis, Criticis, Chabotianis,
Graecis, Ausoniis, Minellianis?
Quales Francia militaris ante,
Nec Britannia cincta belluoso
Vidit Oceano, carensque sensu
Sed Germania viribus ferox, nec
Vidit Belgica nobilis stupore.
Mimus, nomine sed Gujotus *olim,*
Dum scenam levis obtineret Hagae;
Nunc Mervillius, *ore delicato*
Gustans delicias & ungue pingi
Tangens fercula Capproneriana,
Jurat numina, Franciam beatam
Clamans, tam capitale quae creavit,
Et Belgae ingenium timendum & Anglo:
Cujus judicio acquiescet orbis,
Et decreta probabit Histrionis.
Quippe Hagana diu theatra, plebsque
Quae tenet caveam, patresque gentis
Comoedae, studuere ludioni,
Aesopos sibi Rosciosque priscos,
Et Scaramuchios & Arlequinos
In scenam redusse gratulantes.
Sed libraria gens, avara lucri,
Et docta ingeniis sedere judex,
Et cultas pretio aestimare nugas
Sciens legitimo, pati nequivit,
Ut tam ridiculus dicaxque scurra
Scenae fama foret, stuporque vulgi.

Sed

Sed partes agere ut velit ſecundas,
Orcheſtra ſubito valere juſſa,
Praeficique typis librariorum,
Oſtentans pretium, rogare coepit.
Correctorque operum, erudita quotquot
Culti dextera Baylii *edolavit,*
Attraxit decoris micantis auram.
Tactam numine ſentienſque mentem
Doctrinaeque novae nitore plenam,
Duxit Bayliaci ſtili colorem.
Hinc factus vacuae inſtitor tabernae,
Quam faſces bibulae decem papyri,
Aut dextra maculata corrigentis
Monſtrabant folia; at fame coacti
Chartas rodere tranſtulere mures
Poſtquam ad divitiora tecta ſedes,
Nunc ſolus tenet, arrogante vultu:
Et ſupercilio minax ſevero,
Pro ſceptro tragico capit procacem
In tardos calamum ferus Batavos.
Mordacique ſtylo ferire certus,
Quos Senatulus aſſidens magiſtro
Damnat Gallulus in nova taberna.
Et mox Allobrogis juvante laeva,
Lotharingia quam tenere mallet,
Phoebeus, tripedem premens cathedram,
Scriba Ephemeridas novas adornat;
Quis Hagana dat acta literarum,
Quae fert eſuriens in aſtra coetus.
Et veſtigia Clerici legenti
Poſt primordia tam venuſta, nomen
Spondet nobile, nec minora lucra.
Nam primum ſpecimen, novus quod Atlas,
Francam vertice fulciens ruinam,
Dat, nondum Criticos deeſſe Genti,
Nec mentis docet arbitros politae.
Haec ſi, Francia lenta degenerque,
Vis opprobria ſeculi prioris,
Ferre, & putida ſcripta Paedagogi

Et laudare notas Licentiati,
Ad quas Quinctiliana pallet umbra,
Jam sit fas animas citare avorum,
Quas Europa, tuis polita scriptis,
In coelo posuit, coletque semper
Inter lumina verticis bicornis.
Pithoeos *celebres*, Fabros, Fabrottos,
Sirmondosque *tuos*, Petaviosque,
Testes praeteriti bonos decoris,
Evocabimus inferis ab imis.
Naudaeos *tibi*, Cangios, Petitos,
Blondellos, Sponios, Rigaltiosque,
Gaulminos *dabimus*, Bigotiosque,
Cum Vavassore, Huëtios, Bochartos,
Marcas, Mentelios, Medoniosque.
Labbaeos *revocabimus*, Sequinos
Justellis *comites*, Baluziosque:
Fratrum & nobile par Valesiorum;
Quos Palmeria *mox sequetur umbra;*
Nec caussae Puteana *triga deerit:*
Sanmarthana *dabit patrem Poëtam*
Stirps, & tres parili nitore gnatos.
Et, quos fertilis, aemulata Romam,
Plures Francia, gloriam parentum
Nondum degenerans, locavit astris.
Sed si nomina viliora spernis,
Nec Scholastica turba cultiore
Digna hoc, Francia, seculo videtur,
Stirpis sidera Memmiae *citabo,*
Harlaeos, Varios, Lomeniosque;
Et cum Lamoniis, *domus* Thuanae
Cunctos praeradians resurgat astrum.
Gens Segueria, *Galliaeque doctae*
Montauseria *Belgicaeque fautrix,*
Colbertique *manus benigna Musis.*
Et quos Graevius Heinsiusque *plures*
In coelum memori tulere penna,
Vindices studiis bonis redibunt.
Sed quid, Musa, cies molesta manes,

Aut

Aut arcessis ab inferis patronos?
Gens Bignonia, *Franciae sub umbra*
Cujus moesta diu Minerva sedit,
Gens, quae laude nova virescit usque,
Et docti patris eruditiore
Partes excipiente prole, ritu
Phoenicis reparare triste damnum
Tendet, Barbariaeque magna moerens
Incrementa manu potente franget;
Et spretis decus artibus reducet.
His, pars infima Franciae, renata
Jactans aurea secla, dum paternae
Splendor deteritur peritque famae,
Nunc oppone levem, precor, catervam
Et densam insipientium phalangem.
Perraldosque *truces*, Bohursiosque,
Et rudes novitatis advocatos.
Indocti coëant, libros tot ausi
Divinos veterum calumniari,
Aut illudere vocibus protervis.
Monstrent praemia, liberalitatis
Doctis debita regiae belluones,
Delphini maculare quos in usum
Auctores sitis excitavit auri.
Ostentent puerilium notarum
Moles, inscia turba, paedagogi,
Commentaria ponderosa furtis,
Et chartas scholiis graves ineptis,
Barbaris paraphrasibus nigrantes.
Hos Daceria, *fure cum marito,*
Et Marollius *impiger sequatur:*
Ducat belliger ordines Gorallus,
Et centum plagiarios Cacosque,
Omnes laedere suetus eruditos.
Camusatus *atrox agat minaci*
Vultu Ephemeridum truces catervas,
Haganusque *ruens in arma* Scurra
Supplementa ferens diariorum,
Belgas provocet impudente penna.

At

At nos dehinc fatuis valere jussis
Tot Censoribus, & Licentiato,
Furtivis Fabium notis gravante,
Tot volumina munda concacante,
Et curae sociis & administris,
Quos ostentat inops tulisse proli
Nascenti cupidos opem manumque,
Maittairo, *& facili nimis* Monetae
(*Novit nam melius*) *probare nugas*,
Respondere nihil juvabit ultra.
Sed cum vatibus aureis, Rapino,
Et cum Commirio, Menagioque
Secli reliquiis beatioris,
Aegra quos dedit ultimos Poëtas
Quisque effoeta & iners, nec apta frugi,
Posthac Francia vix pares creabit,
Argutum repetemus & jocosum,
Ludentes numero Catulliano,
O SECLVM INSIPIENS ET INFICETVM!

F I N I S.

IN-

INDEX.

